
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
2 C
22



PRÆSIDIA 3.
DOMUS
ILLUSTRIS,

AUTORE

PETRO MULLERO,
U. J. D.
CONSILIARIO STOLBERGENS. AULIC.








JENÆ,
Excuſa Sumtibus Bauhoferianis,
ANNO M.DC. LXXVII.

15



REVERENDISSIMO ac SERENISSIMO


PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO

AUGUSTO,

POSTULATO ADMINISTRATORI PRIMATUS ET ARCHIEPISCOPATUS MAGDEBURGENSIS, DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMITI MARCÆ, RAVENSBURGI ET BARBY, DOMINO IN RAVENSTEIN.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,



REVERENDISSIME AC SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.

Deo ac Publico hominem naſci neſcit negatque nemo, cui quidem, fautrice naturà, melior vena Ingenii contigit. Deo ſanè Uni, cui debemus nos noſtraque, ſervire libertas ejusque velificari gloriæ gloria eſt. Patriæ verò Publicæque Rei non unius rei quæ laborat ino-

inopia, pro virili ſua conſulere, eique vel manu, vel conſilio ſtudioque prodeſſe, jura legesque publicæ imperant. Proinde & nullis defuére ſeculis Ingenia, quæ ſerviendo publico, nominis ſui memoriam ab oblivione ivére vindicatum, & ſcripta ſtudioſæ reliquére Poſteritati. Faciant Novi, inquit Comicus, quod Veteres factitarunt. Quapropter & Ipſe ab Ingenii licet felicitate minus felix, tam conſulendo, quod Prudentum, quàm ſcribendo, quod Intelligentum probetur ſuffragio, officio, quod a quovis ipſa naſcendi conditio exigit, aliquá ſatis ex parte facturus, calamo, licet occupatiſſimo, manum quandoque admoveo, quem conatum meum, niſi laudem & gratiam, tamen veniam, Cenſoris non nimis rigidi arbitrio, eſſe conſecuturum, confido potius, quàm ſpero. Quoniam veró mos eſt publicus, juris quæ fiunt publici, pagellis Illuſtre aliquod Nomen præſcribere Ejusque præſidio ab invido easdem morſu defendere zoilorum, quorum ubique benigna ſatis ſeges eſt, laudati & ipſe moris obſervans, hæc Domus Illuſtris Præſidia præſidio Ejus DOMUS, Quá in orbe Europæo nulla, vel Generis Antiquitate, vel rerum geſtarum Gloria & Virtutum Heroicarum ſplendore eſt illuſtrior, præmunire volui, ideoque ad genua SERENITATIS TUÆ,

REVERENDISSIME ac SERENISSIME PRINCEPS, eadem deponere nullus dubitavi, tutelæ non dubiæ certus, cùm EANDEM curas eruditas esse aliquid putare, imò amare & æstimare, tam fama publica, quàm felicium tot Ingeniorum scripta sub Incluto Ipsius nomine jamdudum divulgata, disertè satis loquantur. Præterea cùm SERENITAS TUA haud ita pridem in *Societatem Fructiferam*, nova indies crescentem laude, Cui SUPREMUM IPSA CAPUT cum gloria præest immortali, meum, Servuli sui, nomen clementissimè transcribere non sit dedignata, servitii, tanto debiti merito, qualecunque publicè monumentum extare jus & fas putavi. Ut SERENITAS TUA potenti præsidio his meis Præsidiis non negato, Fronte sua, id est serena has pagellas accipiat & illustris potius materiæ gravitatem, quàm Scriptoris spectans humilitatem, inusitatæ suæ Clementiæ radio tenuitatis meæ tenebras illustret, humilimè quàm possum, rogo atque oro. Deus Optimus Maximus, nutu qui res humanas regit arctàtque ut lubet, UNIVERSAM DOMUM SAXONICAM, invidenda coronatam felicitate, incrementis beet optatissimis, & atrâ bellorum tempestate, quam undiquaque surgentia turbarum nubila minantur, aversâ, Provinciis sub umbra


RU-

RUTÆ semper virentis florescentibus imperturbata servet otia, inprimis SERENISSIMAM IPSIUS CELSITUDINEM unà cum CELSISSIMA FAMILIA bono Publico, bono Parentium, præsertim Rei bono Literariæ, cui adjuvandæ ornandæque quasi nata, nulli IPSA curæ sumtuique hactenus parcit, incolumem diutissimè præstet, iisque, vovere quæ fas est Principi in Bonis Optimo, bonis cumulet donetque cumulatissimè. Scribebam Stolbergæ Cheruscorum d. XII. Februar. Anno M DC LXXVI.

Reverendiss. Serenitatis T.

Subjectissimus

PETRUS Müller / D.



INDEX CAPITUM.

Cap. I. De Educatione Principis.
II. De Educatione Subditorum.
III. De Matrimonio Principis.
IV. De Matrimonio Subditorum.
V. De Religione.
VI. De Oeconomia Principis.
VII. De Oeconomia Subditorum.
VIII. De Administratione Justitiæ.
IX. De Fœderibus.
X. De Pace Armata.
XI. De Aula.
XII. De Autoritate seu Existimatione Principis.



V.CL.



V. CL.
D. PETRO MULLERO,
JCto Celeberrimo,

Illuſtr. Comit. à Stolberg
Conſiliario fidelisſimo,

Domino & Amico ſuo
honorando,

S.

* * *



idi, VIR CLARISSIME, *quæ in emolumentum Domuum Illuſtrium es meditatus, demonſtraturus erudito Orbi, quid ipſius orbis interſit proſpicere ſedulò, ne ſine orbita ingrediantur, qui partes ejusdem regere capeſſunt. Sanè grande meditandi â Te ſelectum eſt argumentum, & quod nullum niſi par, id eſt, tuum requirit ingenium, & documento jam es contra Taciti mentem* 1. *H.* 1. *magna ingenia nondum ceſsiſſe, producique in noſtro ſeculo æquè talia, qualia è priſcis illis æ-*

tatibus non tam inventorum ſublimitas quàm longa annorum reverentia miratur, ne dicam adorat. Adauget æſtimationem operis ipſius notitiæ difficultas, cùm ſcire quæ illuſtrium Domuum fundamina firment non adeò expeditum, & pleraque artis imperatoriæ rudimenta inter adyta reſervare ſoleant Præceptores illi, qui tamen vix ejus aditus & portas nullâ interiorum curâ efformare aut ſaltem depingere ſunt aggresſi. Et ut illi, qui in domo regnatrice educati, magiſtros ſuos facile exeunt ſat è ſua quidem ſententia anteceſſoribus ſuis inſtructi, ita ipſis vel ipſa præcepta improbationes videntur, quale exemplum, ut vetera prætereamus, illuſtris Didacus à Saavedra, ſi ejus vitæ Commentatori credendum eſt, hac ætate exhibuit. Memini, VIR CLARISSIME, *ſermonis tui, quem cum Clariſſimo Conſiliario Schvarzburgiaco Domino Henrico Balthaſare Rothio & me de Philippi Cominæi Hiſtoria Lipſiæ ſæpius habuiſti, cùm in nuperrimis Comitiis circularibus nos una domus haberet cubantes, una menſa veſcentes. Laudabas Autoris inſignem prudentiam & doctrinam, non tam ſtudio quàm rerum expeditione paratam, laudabat Rothius pro ſuo quem in pietatem & ſincerum Dei cultum fert animo ſingularem in*

viro

viro militari & aulico devotionem, & ut pro indole mea aliquid adderem, ego libertatem, & quod ingenuò ejus Regiminis vitia carperet, cujus primarius minister ipse erat. Majoribus quidem encomiis dudum evectus est celeberrimus hic Autor, ac ut nostra jam indigeat censura, sed ut causam adferam, subit jam animum recordatio Ejusdem cati dicterii quod 1. *Historiarum cap.* 10. *juxta Barthianam versionem de Dominis sui temporis profert: Quicunque mortalium ad summa aliqua fastigia ascenderunt resque gesserunt insignes, illi easdem summa adolescentia plerumq; aggressi, & ut fieri potuerit, aut institutio aut educatio aut singulare gratiæ divinæ donum præstitêre; sin secus, plurimis calamitatibus involvuntur, & utut unus vel alter forte fortuna sensuum suorum reminiscatur, velitque rerum suarum rationes ipse intelligere, res eorum utplurimum eò jam redacta est, ut sera succursui labentis remedia adpareant. Abhinc patet quàm arduum sit tradendi hæc præcepta onus, quàm parum inveniat æquos sui æstimatores, & cùm ignorantium & invidorum frequens ubivis turba sit, quàm raro quoque dignum operâ sequatur præmium. Sed infra benè præparati animi affectum posita hæc omnia sunt, qui consci-*

entia recti saltem contentus sat habet monstrasse viam, qua in bivio amplectenda, posuisse certos lapides, qui ab uno loco in alterum ducant, & dedisse præcepta, ne qui peccantes, tanquam minus moniti se postmodo possint excusatione tueri. Idem Tu, VIR CLARISSIME, *feliciter executus jam es, & qui jamdudum præclaris tuis scriptis Te Famæ inseruisti, jam opus moliris quod supergredi ferè Famam videtur. Macte hac virtute, fruere laborum præmiis, & quod apud Sapientissimos novissimè demum exuitur, præcipue fama Tui. Vale. Dabantur desubitò* LEUCOPETRÆ *die* 29. *Decembr. Anno* 1675.


T.

dediticissimus

ADAM SAMUEL Freystein/D.


* * *

AD



AD LECTOREM.

* * *



Non diffiteor, ſpiſſum quoddam opus, quod *Hodegetam Juris Practicum Civilem* appello, ſeu Manuductionem, quâ via regia Studioſo Juris practicum ſtudium feliciter inchoandi commonſtratur, ante paucos annos me cæpiſſe, divinaque adſtite gratiâ perduxiſſe ad umbilicum usque. Non tamen potui me continere, quin temporis aliquid ſubſtraxerim iſtis lucubrationibus, illudque materiis impenderim Hiſtorico Politicis, ut deſultorem forſitan me dixeris, *Benivole Lector*, meque culpa non vacare, quod tantum opus cæptaverim, nec tamen ei extremam impoſuerim manum; Verùm accipe hoc quicquid eſt Studiorum politicorum, probè memor, quod dandum quandoque ſit pabulum animæ, hoc eſt, à ſeverioribus ſtudiis liceat ſecedere ad amœniora. Sicuti enim lupini per ſe amari aquâ perfuſi dulceſcunt; Sic judicio Lipſii tetrica illa

Legum à mixtione & temperie Historiarum aliorumque Scriptorum, qui ex sapientiæ & prudentiæ libris sua hauserunt, mitigantur. Parvam moram operi politico adhuc alii perficiendo concedas, quantum tandem ordinarii labores permittent, Operi Practico Deo vitam viresque dante fideliter manum admovebo, nec desinam, donec absolutum sit. De Præsidiis seu Fulcris Domûs, seu Familiæ Illustris disserens, Ornamenta Ejus singula nec intendi, nec valui, præcepta potius & exempla saltem notavi illustriora; veluti Architectus struens ædes de fundamento inprimis sollicitus reliqua, quæ ad Elegantiam faciunt, Domino complenda relinquit. Utere his, si placet, conatuique fave; Quicus ulteriora magisque limata addere Tibi integrum & factu forsitan facile erit. Vale.

Sit bono cum Deo

CAPUT PRIMUM
DE
EDUCATIONE PRINCIPIS.
POSITIO I.
Est bona Educatio in Principibus inprimis necessaria.

Sunt enim Instrumenta felicitatis politicæ & publicæ salutis. In aliis neglectæ bonæ educationis dispendium officit singulis, aut certè non nisi ad oppidò paucos pertinet; in Principe verò non solius ipsius tantùm, sed commune omnium malum est, dum is aliis facto nocet, exemplo aliis. Didac. Saavedra *in Idea Princip. Christian. Polit. symbol. 2.* & minora sunt belli mala, quàm pravæ institutionis, cùm illa non nisi ad tempus durent, hæc, quoad vivit Princeps; prout loquitur P. Matth. *in vitâ Ph. Catanensis.* Magnis enim ingeniis, ni maturè diligens cura adhibeatur, idem evenit, quod agris neglectis; quò sunt fœcundiores naturâ, eo amplius sentibus & noxiis herbis vastantur, Mariana *lib. 1. d. Regn. & Reg. Instit. præfat.* Est homo, uti Philosophi docent, ancipitis naturæ, & veluti Medius inter Deum & Bestias. Medium autem quod est, prout flexeris illud, eò inclinat. Quod si igitur homo benè instituatur, fit quidam Deus inter homines; Si malè, vergit ad alterum extremum & efficitur Bestia, Piccart. *in l. 8. c. 1. Polit. Aristot.* Æschyli dictum est:

Ætas prima ceu brutum pecus
ut educetur mentis alienæ indiget.

Grôt.

Grot. *lib. 2. c. 5. num. 2. d. Jur. Bell. & Pac.* Nec Degeneratio ex Procreatione, ſed ab Educatione oritur, Steph. Gvazzius *d. civil. converſat. edit. Reusnerian. diſſert. 5. pag. mib.* 285. & Natura ab educatione & doctrina deſerta nunquam numeros ſuos adepta eſt, Caſ. *ep. 7. mantiſſ. Vegetii.* Ergò generoſi magis qui ſunt, deficiente educatione deteriores evadunt, Plato *lib. 6. d. Republ.* nec Liberis ſolùm, ſed toti etiam Reipublicæ injuria infertur, Cicer. *Orat. 5. in Verrem.*

POSITIO II.

Statim ac in lucem editur Infans, Mater officium Nutricationis aliis ne deleget.

Et quare fieri erubeſcat Nutrix, quæ facta eſt Mater? Chryſoſtomus *Pſalm.* 50 *homil.* 10. Nullo habito vel nobilitatis vel humilitatis reſpectu ſingulas mulieres decere ajo atque affirmo, ut partu Dei beneficio perfunctæ ſuis ipſæ uberibus Infantes nutriant. Non ſolùm enim ad pariendum idoneas Natura fæminas fecit; ſed ad alendum lactis etiam illis copiam ſubminiſtrat. Nullum hactenus animal vel ex feris, vel ex manſvetis legimus aut vidimus, quod fœtus naturæ dono datos aliis animantibus educandos committeret, ait Anton. d. Gvevara, *Epiſcop. Accitan. Carol. V. Imper. Conſiliar. in Horolog. Princip. lib.* 2. *cap.* 23. SARA Genes. 21. 7. Mater ſeptem filiorum 2. Macab. 7. 27. MARIA CHRISTUM Luc. 2. 7. lactarunt. DAVID Rex ab uberibus matris ſuæ pependit. MARIA Imperatoris Ferdinandi filia filiolum CAROLUM FRIDERICUM Cliviæ Ducem hereditarium, materno ſuo lacteoque nectare nutrivit, & unà cum lacte Auguſtas Auſtriacæ Domus virtutes

tutes implantavit, Martin Zeiler. *Theatr. Tragic. p.* 581. D Gokelius *d. Europ. Regib. cap.* 3. *thes.* 22. Delicatulæ sunt istæ fœminæ, nutrici, ob mollitiem, vel ob metum amissionis formæ, aut ut eo citius ad Venerem redeant, partus supponentes, Plutarch. *d. Educat. lib.* 8. *cap.* 7. Insuper metuendum est, ne nutrimentum vertatur in nutriti substantiam & prima nutrimenta indolem ferè forment hominis. Sicuti Ovis à Capra lactata magis hircit; quorsum alludit Virgil. *lib.* 4. *Æneid.*

> Non tibi Diva Parens, generis nec Dardanus autor
> Perfide; sed genuit duris in cautibus horrens
> Caucasus, *Hyrcanæque admorunt ubera Tygres.*

& vulgò dicitur, was von Huren seuget/das ist zu huren geneiget. Vid. Tholozan. *lib.* 16. *c.* 3. Keckermann. *Systema polit. lib.* 1. *c.* 8. §. 2. HABIS Hispaniarum Rex cervæ lacte enutritus cursu pernicissimos cervos adæquabat. Justinus *libr. ult. histor.* D. Hieronymus vicariam illam nutriendi rationem non admodum probasse videtur, teste Simone Majolo *colloqu. tom.* 4. *colloqu.* 3. add. Preibis. *Polit. disp.* 8. *thes.* 35. *pag.* 77. Nisi forte Mater non sit lactitia, tunc empticium lac fœminæ tamen probitate conspicuæ substitui potest. Vixit, sunt verba Lansii *mantiss. Consultat. p.* 463. inter mundi maximos, sanè non minimus PRINCEPS, & penè dixerim Maximus, cujus quidem ore fortuna grandia loquitur, qui primis annis fœda tabe, & ulcere afflictus fuit, vitio nutricis nefaria illa contagione obsessæ. Quare tenera illius ætas spem vitæ & regni valde accisam præ se tulit, & is totos quatuordecim menses pro recuperatione valetudinis passus est ea à Medicis, quæ solent americana lue sive morbo Gallico correpti.

POSITIO III.

In sinu amoveantur ludicra, inprimis fabulæ aniles.

Olim apud Romanos eligebatur aliqua natu major propinqua, cujus probatis spectatisq; moribus omnis cujuspiam familiæ suboles committeretur, coram qua neq; dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Autor Dialogi *de Oratorib. cap.* 28. Hodie (quod idem Autor de suorum temporum consuetudine conqueritur) natus infans delegatur alicui ancillæ, cui adjungitur unus & alter ex omnibus servis, plerumque vilissimis, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri statim & rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino aut dicat aut faciat; quando etiam ipsi parentes nec probitati nec modestiæ parvulos asuefaciunt, sed lasciviæ & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit & sui alienique contemtus. Guevara *in Horol. Princip. lib.* 2. *cap.* 38. ait, deploratu longè dignius, quod scilicet patres matresque comitatem prætexentes puerilem, blaterones & locutulejos (scurrasque & nugatores) educant; quæ res postea temporis progressu ad summum patris dedecus (probrumque) & præsentissimum filii periculum redundat. Juvenis enim inde à pueritiâ scurram agere assuetus, quid aliud sperare potest, quàm ut morionem senex agat? & porrò: longè deterius est, quod Parentes, imò etiam educatores ac nutrices pueros obscænitates & parum pudica verba docent proferre, quæ neque ætati puerili dictu licita, neque gravitati senili auditu tolerabilia debent esse. Ergò non parum refert, sicne an sic à pueris adsvescantur, sed perquam multum; Imò verò totum in eò positum est Aristot. 1. *Nicom. cap.* 1. §. *ult.* quocum facit Poëta Palingenius *in Capricornu vers.* 76. Per-

Permagni refert etiam quos quisque Parentes
Accipiat,quo ſit pacto nutritus, & à quo
Inſtructus; nam *quos mores puer adbibit, & quas*
Artes à teneris didicit, retinebit adultus.

Optimus olim REGUM PERSARUM mos,ut nutriretur puer non â nutrice muliere parum honorifica; verùm ab Eunuchis,qui reliquorum circa Regem optimi viderentur, Plutarch. i *Alcib.*Saavedra *Symb.pol.*1. CORNELIAM Gracchorum, AURELIAM Cæſaris, ATTIAM Auguſti matrem præfuiſſe educationibus percepimus,Hanau *de Nobilit. quæſt.*102.

POSITIO IV.

Non quivis Præceptor Juveni Principi dandus eſt,quamvis ſcientiarum artiumque liberalium cognitione cluat.

Prudenter Janus Gruterus *diſcurſ. ad Tacit. fol.* 47. Næ, *inquit*, iis, qui Principum Adoleſcentiæ præficiuntur, multa debemus. Bona quidem, ſi ipſimet boni mala,ſi mali: utpote â quibus pendeat orbis totius aut Exitium, aut Salus. Mali Magiſtri plus moribus nocent, quàm ingeniis proſunt,Valer. Maxim. *6. cap.* 3. Imperator M. AURELIUS quinque Præceptores repudiavit, non quod minus docti,ſed quòd parum eſſent graves. Gvevar. *Horolog. Princip. lib.* 2.*cap.* 43. Singulariter noſcat lubricam principis regere ætatem informator, ne peccet ſeveritate, aut comitate nimia noceat. Ab omni memoriâ, inquit Mariana *d. Inſtit. Reg. lib.* 2. *c.* 3.*p.* 111. multos principum Inſtitutores peccaſſe invenio, aut metu exacerbandi Principem,aut cupiditate eorum gratiam iniquâ indulgentiâ promerendi. Decem Requiſita ſeu Virtutes in Educatoribus Principum & Magnatum legeſis

in Horol. Princ. Ant. de Gvevar. *lib. 2. cap.* 39. THEODOSIUS ad filios suos, ARCADIUM & HONORIUM dixit: Mei filii, delegi vobis Præceptorem eum, qui optimus & sapientissimus nostrorum hominum censetur, cui ego, vobis audientibus, injunxi, ut vos ea maximè doceret, quæ Principi fingendo & omnibus virtutis officiis instruendo necessaria sunt Nicephor. *lib.* 3. *c.* 23. Cùm Rex FERDINANDUS Avus è fenestra palatii FERDINANDUM puerum cum *Ximenio* deambulantem conspexisset, voce interiori dixisse fertur: Euge Nepos tali comite, â cujus latere, si quid mihi credis, nunquam discedes, Alvarus Gomesius *lib. 5. d. reb. gest. Francisc. Ximenii Archi-Episcopi Toletani.* Verberibus autem generosi animi non sunt tractandi. MAXIMILIANUS I. Imperat. ubi habilis per ætatem ad discendas literas fuit, magistro *Petro*, qui postea Novæ civitatis Antistes erat, traditus, aliquot annis cum Nobilium quorundam filiis contubernalibus latinas didicit literas; Sed cùm ejus Præceptor solis Dialecticis argutiis doctus, sophismata illi inculcare vellet, ad quæ capessenda aptus non erat, sæpius atrociter verberatus ab eo, qui magis ipse verberandus, cùm verbera servos deceant, non liberos; tandem factum, ut literas Princeps magis odio haberet, quâm diligeret. Audivi ex ore D. Maximiliani hoc verbum, quod jam Rom. Rex factus, in mensa multis adstantibus dixit: Si hodie Præceptor meus viveret, quanquam multa Præceptoribus debeamus, efficerem, ut ipsum instituisse me pœniteret. Quàm multa enim bonis Præceptoribus, qui rectè instituunt pueros, debemus; tam multis plagis sunt onerandi indocti pædagogi, qui pretiosissimum ætatis tempus perdunt, & ea docent, quæ dediscere multo labore necesse est, ait Joh. Cuspinianus *in vitâ Maximiliani I. Imperator.*

PO-

POSITIO V.

Naturale Ingenium in administrandâ olim Republicâ non sufficit, sed artis subsidio indiget.

Zevecot. *in observat. ad Florum lib.* 1. *cap.* 5. Informandus ergo est Princeps bonis literis, quia nullus melior, quàm Literatus Imperator, Vopisc. *in Tacit.* Quemadmodum cùm Sol super terram non lucet, obscura sunt omnia atque indiscreta: ita in animo nulla eruditione nullisque literis imbuto confusa atque inordinata jacent universa. Basilius Imp. *ad Leonem fil. cap.* 1. Hoc certò statuendum est, inquit Philip. Cominæus *lib.* 3. *commentar.* Deum non condidisse regna, ut gubernarentur ab hominibus ineptis & stolidis, qui frivolâ quadam & miserâ jactatione solent dicere, se, quòd usum literarum non habeant, suis familiaribus & necessariis omnem actionem committere, ac deinde totos sese dedunt voluptatibus. Quod si benè fuissent â teneris annis educati, longè aliam viam ingrederentur. Nulla igitur majore clade populum Deus affligere solet, quàm si ei Principem præficiat stolidum & imperitum. Neque enim dici poest, quàm multa hinc oriantur incommoda. Unde ALPHONSUS dixisse fertur; Regem Illiteratum esse Asinum Coronatum; sanctèque affirmavit se malle perdere regna, quæ plurima possideret, quàm literas, quas permodicas se scire dicebat, nescire. UBALDUS FELTRIUS Urbini Dux se fortunas suas omnes sapientia commutaturum testatus est, cum dixit: Se ad paupertatem deventurum, si sapientia veneat, Joh. Lauterbach. *in tract. d. Arm. & liter. num.* 49. MARCIO CORIOLANO & C. MARIO summis alioqui viris hoc defuisse ait Plutarchus *in C. Mar. Coriol.* qui si Musis Gratiisq; litassent, non impetu ablati tam fœdum & turpem rebus suis exitũ

dedissent. Exadverso lætatus fuit PHILIPPUS Macedo, quod vivente *Aristotele* sibi natus esset filius, à quo per quinq vennium profundissima Philosophiæ arcana didicit, quæ plus sæpè præsidii in bellicis expeditionibus, quàm ipsa Arma suggesserunt, Gell. 9. *cap.* 3 SCIPIO tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & fautor & admirator fuit, ut *Polybium Panætiumque* præcellentes ingenio viros domi militiæque secum habuerit, Vellej. Patercul. *lib.* 1. *c.* 12. DRUSI ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus in incerto est, Vellej. *lib.* 2. *c.* 97 Profuit L ASELLIO, quod literis imbutus esset, apud Diodor. Sicul. *in Peiresc. p.* 396. CAROLOMANNUS Ludov. Boji filius ab Andrea Brunnero *lib.* 7. *Annal. Boicor.* Magnus effertur, quod Princeps laudatissimus ad insignem corporis elegantiam cultum literarum adjunxerat. De MATTHIA Ungariæ Rege sic scribit Jovius *in elogiis virorum bell. virt. illustr. lib.* 3 Neque enim Regem aut Ducem absolutæ Virtutis & Gloriæ famam adipisci posse prædicabat, nisi literarum prælidio munitus, omnis ætatis instituta militiæ, ipsaque antiquorum stratagemata ex historiis præcalleret, quando ea documenta, quæ magno usui militiæ forent, ab ignaris literarum nisi longissimo tempore experiundo percipi non possent, quæ alii ex veterum exemplis legendo facilè consequerentur. Modus tamen adhibendus est, ut vitæ, non Scholæ discat Princeps, Senec. *epist.* 166. SERVIUS TULLIUS iis eruditus erat artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur, Livius 1. 39. 5. Absit tamen ut Princeps in literis desideat, aut in meditatiunculis consenescat. Ut qui ignem à vicino petit, non illic hæret, sed allato eo domi focũ suum accedit: sic capiendo à Doctrinâ igniculi illi prudentiæ, & ad usum actionemque civilem transferendi sunt. Just. Lips. *in not. ad libr. Polit.* MICHAEL *Ducæ* filius Imp. Byzantinus Doctore usus *Psello*, tum Philoso-

pho-

phorum Principe, Grammaticæ & Lingvarum differentiis, Historiarum studiis & Philosophiæ operam cùm dedisset, tamen ad Imperium planè ineptus fuit, quando oblectationem potiùs, quàm virtutem ex iis studiis hausisset. Zonar. *tom.* 3. *Annal. pag.* 227. & 228 Scholastica studia leviter tractata delectent, contrectata verò & propius admota fastidio sint, Senec. *controvers. lib.* 5. *in princ.* Literati SINARUM aliam scientiam non sectantur nisi politico moralem; de Scholasticis & Speculativis disciplinis ne quid sint nominis norunt, Kircherus *in Chin. Ill. p.* 6. *p. m.* 169. Sunt Disciplinarum aliæ, quæ ad Principes solùm attinent, aliæ quæ privatis & civibus congruunt, Themistius *in Orat. ad Valentinian. p.* 121. Historica, Politica & Mathematica ornant Principem. Historia enim Prudentiæ & Sapientiæ est initium, Jacob Bornitius *in disc. polit.* FRANCISCUS I Galliarum Rex semper peculiares Historicos ad latus suum habuit; *Jacobo Colino & Petro Castellano* prandens etiam atque cœnans avidissimè usus est: atque ab iis, quicquid in Poetarum, Historicorum, Cosmographorum libris est, avidè hausit. Schleidano teste *lib.* 19. AUGUSTUS Imper. historiarum deliciis valdè delectatus fuit, Sveton. *cap.* 89. HONORIUM Claudianus adhortatur verbis:

—— Nec desinat unquam
Tecum *Graja* loqui, tecum *Romana* vetustas.
Antiquos evolve Duces, adsvesce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæsita placet? mirabere *Brutum.*
Perfidiam damnas? *Metii* satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? *Torquati* despice mores.
Mors impensa bonum? *Decios.*

Nolo ego, ait Robertus Keuchenius *in Antonino Pio pag. mihi.* 18. Principem, cui cuncta incumbit, se totum omnibus studiis

diis dare. Sufficiunt ea, quæ eum commendent & juvent. Legat Annalium monumenta, bellicas res, evolvat historias, stratagematum exempla, victoriarum & cladium causas, & omnis reipublicæ disciplinam cognoscat. In JULIO CÆSARE tanta fuisse traditur Astronomiæ cognitio, ut annus ab eo correctus fuerit, qui nunc *Julianus* appellatur, Richter *axiomat. polit.* 87. *exempl.* 12. SILVESTER II. Pontifex Romanus præcipuè in artibus liberalibus peritus ac nobilis Philosophus ac Mathematicus fuit, vid. Franc. Mersæum, Minoritam, *in Annal. p.* 1602. Geographicæ delineationes plurimum & jucundi & honesti in se habent. D. Conring. *in dissertat. d. education.* HADRIANUS Imperator ob Geographiæ cæterarumque artium Organicarum studium longinquas peregrinationes suscepit. HADRIANO SEXTO Pontifici Romano unica propè contigit laus in Mathematicis. Vitetur Grammatica & Poeseos *nimius* usus: Modica erat POMPONII fama, quod carminum gloria præcelluit, Tacit. *lib.* 12. NERONI contemtui ducebatur, carminibus pangendis incumbere. Tacit. *lib.* 13. Sprenger. *in Tacit. axiomat. pag. mih.* 176. De Studiis Principum vid. Reinh. Lorich. *d. Instit. Princip. c.* 5. Heresbachium, Polybium *lib.* 29. *Hist.* Althusium *cap.* 21. *Polit. num.* 14. Hieronym. Sirtur. *in compend. politic.* add. Lipsium *lib.* 1. *civil. doctrin. cap.* 6. Middendorp. *quæst.* 68. Heider. *dissertat. d. Prudentia Politic. quæst.* 1. Cominæ. *lib.* 3. *comment. p. m.* 386.

POSITIO VI.

Linguarum cognitione instruatur Princeps Juvenis.

Inprimis Earum, quæ suo Principatui sunt vicinæ. Romæ infimæ existimationis reputabatur is, nullisq; negotiis à Senatu

natu adhibebatur, qui plurium linguarum & diversorum idiomatum cognitionem non haberet. Bocatius *de Syllæ temporib.* Et turpe semper habitum fuit & indecorum, Proceres & veluti Columnas Imperii cum Regibus & Principibus externis Eorumve Legatis ore tantùm alieno colloqui, Ipsos autem nutu & signis duntaxat quæ velint, indicare. Camerar. *oper. subcis. cent.* 3. *cap.* 65. & interprete semper uti velle, aut non nisi in aliam linguam translata legere, res est deceptioni obnoxia, Saavedra *symb.* 5. Notitia tamen illa non comparanda est Principi viâ præceptorum, nam illa memoriam confundunt; sed adsciscendi sunt in ejus familiam illustrium virorum filii ab exteris exciti nationibus, quibus cum familiariter conversando absque magno labore, & quasi aliud agens paucorum mensium spatio tantum proficiet, ut linguis singulorum loqui asuescat. Idem *ibid.* MITHRIDATES Ponti & Bythiniæ Rex inclutus *duarum & viginti* gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit, perinde ac si cuique gentilis extitisset. Marselaer *d. Legat. dissert.* 25. Gell. *lib.* 17. *c.* 17. Reinhard König 2. *Theatr. polit. c.* 21. NERO Imper. Rom. tam græcè doctus fuit, ut Athenis natus videretur, Sveton. *c.* 42. *p.* 315. CLAUDIUS in Senatu Legatis perpetuâ oratione Græcâ respondit. Idem *c.* 70. *p.* 216. CAROLUS MAGNUS non solùm patriæ linguæ, sed etiam peregrinis lingvis eruditus, barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum bella & actus canebantur, scripsit & memoriæ mandavit, inchoavit etiam Grammaticam patrio sermone: mensibus anni juxta propriam, id est, Teutonicam linguam, vocabula imposuit, ventos etiam duodecim propriis nominibus appellavit, cùm antea quatuor tantùm Cardinales venti nominarentur, Sigebertus *in Chronico.* De LUDOVICO Ejus filio Theganus: Linguâ Græca & Latina valdè eruditus; sed Græcam magis intelligere poterat

terat,quam loqui, Latinam vero sicut naturalem æqualiter loqui poterat. De Francis Venantius Fortunatus, qui nominatim ad CHARIBERTUM Regem:.

Cùm sis progenies clara de gente Sicambrâ,
Floret in Eloquio lingua Latina tuo.
Qualis es in propria doctus sermone loquela?
Qui nos Romanos vincis in Eloquio.

FRIDERICUS II. Romanorum Imperator Græcè, Latinè, Hebraicè, Arabicè, Germanicè, Italicè & Gallicè locutus fuisse legitur. OTTO I. à ducta Adelheida secunda Conjuge linguam Italicam & Vandalicam felici studio addidicit, Christoph. Lehman *in Chron: Spirens*: D. Lebleu *d. Instr. futur. Consil. disp.* 1: *c.* 5. *thes.* 9. MAXIMILIANUS I. cum Italis Italicè, cum Gallis gallicè, cum Germanis germanicè & cum viris doctis latinè loqui potuit, Cuspinian. *in Maximilian.* CAROLUS V. Thucydidem Græcum Scriptorem suo marte in linguam Gallicam conversum sedulò legisse ac perlectam certæ Historiæ periodum communicasse, earumque sententiam & de dictione & de rebus ipsis poposcisse dicitur, D. Conring *exercit. ad Justin. cap.* 1. §. 1. SIGISMUNDUS I. Poloniæ Rex linguam Germanicam calluit, cùm eam gentem habuerit vicinam, cumque eâ de gravissimis negotiis tractandum habuerit. Herbort. *in Chronic. Polon.* ELISABETHA Angliæ Regina teste Thoma Lansio *in Consultat. Orat. pro Gallia p.*188. *& seq.* Virtute suâ omnibus bonis Principibus præluxit; fœmina præter multas corporis dotes supra sexum prudens, multisque literis expolita Græcè & Hispanicè mediocriter, Latinè verò, Gallicè & Italicè ad miraculum docta, quæ uno eodemque die tribus Maximorum Regum Legatis, Latinè uni, alteri Gallicè, tertio Italicè respondere audita est, add. Caspar Laudisman *in Consil. d. addiscend. lingv. exotic. Gallic. & Italic. p.*100. *& seqq.* GUSTAVUS ADOLPHUS Rex Sveciæ singu-

singulis Legatis nunc his Italicè, illis modò Gallicè respondit. Conring. d. l. Hodie ELISABETHA PALATINA, Abbatissa Herfordiensis in omni linguarum peritiâ excellit, de qua Hottingerus *in part. 5. Histor. Eccles. in dedicat. ita*: Ipsa Tu, cum altera illa (Anna Maria Schurmannin) novo orbis prodigio (liceat ita mihi Ultrajectinum sidus, & omnis bonæ literaturæ cornu copiæ Hieronymi verbis compellare) toti pridem, rarò illius Seculi exemplo, probasti orbi, sexum muliebrem, neque à solida linguarum notitia, neque abstrusâ Philosophiæ tractatione, neque etiam sublimi rerum Theologicarum inquisitione; totaque adeo literarum, tam sacrarum, quàm prophanarum ἐγκυκλοπαιδίᾳ abhorrere. Non repetam, Serenissima Princeps, quæ alii, magno tuo merito, de excellentissimi & incomparabilis ingenii Tui sagacitate, judicii ἀκριβείᾳ stupenda; studio linguarum Latinæ, Græcæ, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ indefesso &c. TURCÆ, licet Barbarorum ferocissimi, & à literis maximè alieni, cum reapse linguarum summam viderint utilitatem, quot linguas quis callet totidem viris illam æquivalere vulgato proverbio dictitant. vid. Anton. Menavinus & Gvil. Post. *d. reb. Turc.*

POSITIO VII.

Eloquentiæ, blandæ illi Affectuum dominæ, operam det Princeps Juvenis.

Neminem sine Eloquentia magnam potentiam ac fidem assecutum esse Taciti est sententia. Hujus vim significarunt per picturam Herculis, è cujus ore aureæ catenulæ dependent, quibus infinitam hominum multitudinem trahit, Lucian. *Tom.* 1. Hercul. Gallic. *p.* 808. & constat, multos Principes in Imperio gravissimas seditiones Eloquentiâ sedasse, ac sacræ Palladis artibus cruento Marti Pacem extorsisse, Gvevar. *in Horolog. Princip. lib.* 2. *cap.* 30. quippe Eloquentiæ

Ira, Consternatio & Arma cedunt, Valer. Maxim. *lib.* 8. *c.* 9. Ad hoc studium Rege dignum Isocrates *epist.* 5. Alexandrum adhortatur. Principem qui alterius eget opera, ut quæ secum ipse reputat, eloquatur, statuam elinguem potius esse, quàm Principis dignum nomine acriter judicat Saavedra *symb. polit.* 4. Quid de suâ Eloquentiâ sibi non pollicebatur sapientissimus SALOMON? In conspectu potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me; tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent. Saavedr. *d. l.* VESPASIANUS Imperator græca facundia decorus, omniumque quæ diceret arte quadam ostentator, milites in sua verba adegit. Tacit. 2. *H.* 80. JULIUS CÆSAR cùm annum ageret XVI. defunctam Romæ amitam Corneliam è more pro Rostris laudavit, Sveton. Tranquill. *lib.* 1. *d. Cæsar.* Qui in ætate tam tenera Eloquentiæ vim mirificam demonstravit, & tantoperè illo die Populo placuit, ut virum in Imperio Romano illustrem futurum augurarentur Universi: quo die Sylla, quemadmodum Appianus refert, hæc protulisse verba perhibetur: Mea de Cajo Cæsare sententia hæc est, quod Linguæ audacia futuri hominis præsagium sit. Gvevara *in Horolog. Princip. lib.* 2. *c.* 30. CÆSAR OCTAVIANUS AUGUSTUS Eloquentiam studiáque liberalia ab ætate primâ & cupidè & laboriosissimè exercuit, Sveton. *in Aug. cap.* 84. & liberalibus studiis præsertim Eloquentiæ in tantum incumbens, ut nullus, ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret. Aurel. Victor. Duodecimum annum agens Aviam Juliam defunctam pro concione laudavit *cap.* 8. TIBERIUS CÆSAR in Eloquentiæ studio tantos fecit progressus, ut novem natus annos defunctum Patrem laudaret, teste Svetonio *in Tiber. c.* 6. Imperator CONSTANTIUS id quod ferè vix aut multo sanguine obtinendum erat,

Elo-

Eloquentia patravit. Anton Gvevar *lib. 2. c. 30. horol. Princ.* HENRICUS IV. Galliæ Rex & MELCHIOR CLESELIUS Cardinalis ab Eloquentia laudantur Forstnero *in not. ad Tacit. lib. 13. cap. 3.* Eloquentia tamen Principis ne sit affectata: Solicitè adornatus in FERDINANDO Mantuæ Duce sermo, & Oratorum coloribus pictus omnium reprehensionem incurrebat. Quippe dedecere magnum Principem tantum verborum: arguta & magnis sensibus prægnantia magis commendabant, Possevin *histor. bell. Monf. 30.* Forstner *cit. loc.*

POSITIO VIII.

Conversatio sit cauta & cum viris Prudentibus.

Aristoteles rogatus à quodam, quibus rationibus efficere posset, ut equum haberet eximium. Si inter generosos, inquit, equos educetur. Erasm. d. *puer. instit.* Sumuntur enim mores à Conversantibus. Graviter Lampridius *in vita Alexandri Severi ad Constantinum Magnum* Soles, *ait*, quærere Constantine Maxime, quid sit, quod hominem Syrum & alienigenam, talem Principem fecerit, quum tot Romani generis, tot aliarum provinciarum reperiantur improbi impuri, crudeles, abjecti, injusti, libidinosi. Jam primum possum de bonorum virorum respondere sententia, potuisset naturà, quæ ubique una mater est, bonum principem nasci: deinde timore quod pessimus esset occisus, hunc optimum factum. Sed quia verum est suggerendum, clementiæ ac pietati tuæ, quod in Marco Maximo legisti, meliorem esse Rempnblicam, & propè tutiorem, in qua sunt amici principis mali: siquidem unus malus potest à plurimis locis corrigi: multi autem mali non possunt ab uno, quamvis bono, ulla ratione superari. Et id quidem ab Ho-

mero Hamulo dictum est, cùm ille diceret, Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse; atque adeò illum magis odio fuisse, qui Rempublicam pejoris vitæ hominibus commendaverat, quia melius est, unum malum pati, quàm multos. Et Alexander quidem & ipse optimus fuit (nam hoc nemo vult nisi bonus) & optimæ Matris consiliis usus est: *attamen amicos Sanctos, venerabilésque habuit, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumventores sui, non irrisores, non qui illum quasi fatuum circumducerent. Sed Sanctos, venerabiles, continentes, religiosos, amantes principis sui, & qui de illo, nec ipsi riderent, nec risui esse vellent; qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent nunquam deciperent Existimationem Principis sui, sed amarent.* Optima ergò Institutio Principum videtur, ut semper circa se habeant viros doctos & graves: Qui enim cum Sapientibus graditur, Sapiens erit: Amicus stultorum, similis invenietur. Besold. *discurs. polit. lib. 6. cap.* 3. THEODOSIUS MAGNUS Imperator interrogatus quondam, quid faciendum Principi, ut esset bonus? Principem, inquit, virtute sapientiaque conspicuum, cùm iter facit, comitari debent Sapientes: Cùm cibum capit, mensæ adstare debent Sapientes, D. Lebleu *Instit. futuri consil. disput.* 1. §. 4. Huc *Doctrina Morum* referas. GUSTAVUS Svecorum Rex Senecam, virum supra tenebras gentium, memoriâ tenuit, ut non lectorem eum, sed scriptorem divinorum operum fuisse judicaturus fueris. Memini, ait Illustris Benedictus Skytte *in Oratione in Excessum Gustavi Magni Lugduni Batavorum anno* 1635. *habitâ & â Clariss. Boxhornio edita p. m.* 5. in mediis Germaniæ bellis, inter tantas trepidantis Europæ curas, quarum potissimæ illi incumbebant, quotiens fessum animum paululum reficere licuisset, sæpè me ex augusto ore graves illas sententias audisse,

disse, quas sic sibi applicabat, ac si non alteri scriptæ essent. Perniciosissimos autem libros, quos Bibliothecarum ulcera vocat Lansius, cane pejus & angve vitet juvenis princeps. Comburendi sunt libri *Amadisi* (à Nicol. de Herberay Sieur des Essars compositi) & similes, qui castitatem deturpant; qui conspurcant temperantiam, qui innumera adulteriorum & effrænatarum libidinum stratagemata ostendunt. Flammis tradendi, aut certè in Siciliam deportandi, ubi vivi perpetuis se macerent vigiliis contra vaferrimos noctium aucupes Lanov. *disc.* 6. Gumpelzaimer *gymnasm. d. Exercit. Academicor.* Hujusmodi libri, judicante D Martino Naurath. *in not. ad Hippol. à Collibus Palatin: pag: mihi.* 809. venena, quæ melle condita, instillant adolescentibus, & blanda quidem, non tamen continent salutaria. Scripserunt Græci in prosa Amores, ut *Heliodorus* & *Longus Sophista*, qui Pastoralia composuit, & Gallis & Hispanis ansam dedisse videntur, qui superflui in hoc argumento. *Conversatio quoque Fæminarum* in tenerâ ipsâ ætate periculosa est: cùm Princeps Juvenis oculorum mobili petulantia sæpiùs seducatur. Voluptates, teste Cicerone *lib.* 2. *offic.* sunt blandissimæ Dominæ, quæ sæpè majores partes animæ à virtute detorquent. Istius Conversationis Principium Pavor est; Medium Peccatum; Finis Dolor & Angvor. Imò nihil est, quod hominem ab aspectu divino longius abstrahat, & in turpissimum errorem præcipitet. Amor Lascivus Chimeræ assimulatur; quæ sicuti *Leonis* caput habet, *Capræ* Ventrem, & Caudam *Draconis*; Ita Amor *feritatem* Leonis præ se fert, & in medio *luxuriam* Capræ, in fine *venenum* Draconis, quod & ruinam ipsi conciliat & mortem. Gvazzius *d. civil. conversat. differt.* 4. EUTROPIUM EUNUCHUM Arcadii Imperatoris Pædagogum ita perstringit prudentissimus Pöeta Claudianus *lib.* 1. *vers.* 271.

Quid

—— Quid te turpisſime bellis
Inſeris aut ſævis pertendas Pallada campis?
Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ,
Tu telas non tela pati, tu ſtamina noſſe;
Tu ſegnes operum ſolers urgere puellas
Et niveam Dominæ penſis involvere lanam.

Invictum certè HERCULEM illum à cœca pasſione victum conſtat. Gvazz. *d. civil. convers. differt.* 4. Peregrinæ mulieres SALOMONEM aliàs prudentisſimum à verâ & avitâ Religione abduxerunt. Rex Salomon, inquit Scriptura 1. *Reg. c.* 11. *v.* 1. adamavit mulieres alienigenas multas & filiam Baroh, Moabitidas, Ammonitidas, Edomeas, Sidonias & Hitthæas *v.* 2. de gentibus ſcil. quas dixerat Jehovah filiis Iſrael Exod. 34. 14. Non ingrediemini ad eas, & ipſe non ingrediatur ad vos, ſiquidem inclinare facient cor veſtrum poſt Deos ſuos, iis Salomo adhæſit amore *v.* 3. vid. infr. Caput XI *d. Aula Poſit. III.* & cap. XII. *d. Autoritate ſeu Exiſtimat. Princip. Poſit. VI.*

POSITIO IX.

Exercitiis non minus quàm cibo opus eſt in valitudinis præſertim firmitate conſervanda.

Socrates. Præparatur quoque Animus ad fortitudinem, & juvenis Princeps
cur Apricum
Oderit campum patiens pulveris atque Solis?
cur neque militaris
Inter æquales equitet; Gallica nec lupatis
Temperet ora frœnis?

Horat. *lib.* 1. *Od.* 7. Armis paulatim aſſveſcant Juvenes, ut tam Pacis quâm Belli tempore parati exiſtant.

Sunt

Sunt Duo quæ faciunt ut Rex in honore sit:
ARS, MARS.
Gloria ab Arte venit, gloria Marte venit.

Rollenhag. *emblem.* 68 Juvenes Nobiles, omnesque illi, qui ad arma sunt nati & destinati, asperioribus exercitiis maturè asvescant, puta jaculandis telis & sagittis, cursui, pugnis ludicris, equorum agitationi & similibus. Alsted. *Encyclop.* 35. §. 13. Producite, inquit Cassiodorus *lib.* 1. *var.* Juvenes vestros in Martiam disciplinam; Sub vobis videant, quod posteris referre contendant. Nam quod in juventute non discitur, in maturâ ætate nescitur. Accipitres ipsi, quorum victus semper ex præda est, fœtus suos novitate marcentes nidis proturbant, ne ad molle otium consvescant, alis verberant immorantes, cogunt puellos teneros ad volatum, ut tales possint existere, de quibus possit pietas materna præsumere: Vos autem, quos natura erigit, & amor opinionis exacuit, studete tales filios relinquere, quales vos constat patres habuisse. CORIOLANUS cursu omnisque generis exercitiis & laboribus corpus reddidit ineluctabile. Plutarch. *in Coriolano.* POMPEJUS adolescens cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat, neque enim ille aliter posset par esse Sertorio, nisi se & milites frequentibus exercitiis præparavisset ad prælia. Salust. *in fragment.* SPARTANI suam juventutem ad Eurotam fluvium laboribus & exercitiis ferè quotidianis ád functiones militares præcoquerunt. Et hoc medio per D. annos Græciæ principatum tenuerunt, vid. Plutarch. *in vit. Laced. & Lycurg.* FRIDERICUS Rex Neapolitanus sub extremum vitæ filium suum Calabriæ Ducem per literas hortatus est, exercitiis militaribus equestri firmaret corpus, neque præposteris voluptatibus frangi se sineret, aut difficultatibus & periculis terreri. Saavedra *symb. polit.* 71. VENATIO quoque Principe digna est. Sic

Machiavellus *in Principe cap.* 14. Venatui studio, inquit, jugiter ipse Princeps incumbat, ut & corpus laboribus adsvefaciat, & locorum naturam addiscat: tum, quo modo assurgant montes vallium, item ora quo pacto aditum admittant. Ad exercitia referimus ARTEM PICTORIAM, cùm conducat ad judicandum & propagandam rei memoriam, vid. Julium Capitolinum & Flavium Vopiscum. Artibusque liberalibus annumeretur, Plin. *libr.* 35. *Natur. histor. c.* 10. Eâdem sese oblectarunt HADRIANUS Imperator. Spartian. M. ANTONIN. Philosophus Imper. Capitolinus. ALEXANDER SEVERUS apud Lamprid. ATTALUS Rex unam Aristidis Thebani Pictoris tabulam 60000 coronatis æstimavit. Drexel. *in Aurifodin. p.* 249. JULIUS CÆSAR duas tabulas Medeam & Apacem Timachi in templo Veneris Genitricis dicaturus emit octoginta talentis, seu 48000. coronatis, Plin. *l.* 7 *c.* 38. Idem *l.* 35. *c.* 4. Quid de *Musica*? Num deceat Principem. Aliud in Imperatore, aliud in Musico flagitatur, Trebell. Pollio *de Galieno* 58. *pol.* 5. NERO passim malè audit, quod maluerit bonus Citharedus quàm bonus Imperator haberi. Neroni lusus Citharæ potissimum placebat, quia putabat Apollini placere, Diisque gratum cantum esse, Tacit. 14. A. 14. *E.* Nec unquam quis arti canendi validius favit, quàm Nero, qui longè infra dignitatem se dejecit, quod aliquando nomen suum in albo profitentium citharædorum jusserit ascribi, neque dubitaverit etiam in privatis spectaculis operam inter Scenicos dare, Sveton. *in Nerone c.* 21. Illustrissimis personis non improbatur exercitium artificii manuarii, recreationis ergò. SELIM SOLIMANNUS Turcarum Imperator artium mechanicarum amantissimus artem faciendi acus didicisse fertur. Magnos Principes manibus suis fecisse artificia vid. Zeiller *cent.* 4. *quæst* 45. *pag.* 238. & *seqq.* Besold. in ThesaurPractic. voc. Handwercker ibiq; Ditherrus *in addition:*

PO-

POSITIO X.


Ad comparandam Prudentiam civilem plurimum conducit Peregrinatio.

Qui sapit ille animum peregrino obdurat in orbe,
Coralium extra undas sic abit in lapidem.

Camerar. *in Emblem.* ULYSSES laudatur apud Horat. *in arte Poetic.*

Quod mores hominum multorum viderit urbesque
Et de ÆNEA Virgilius:
—— Heu quibus ille
Jactatus fatis, quæ bella exhausta canebat.

Multum apud Diodorum Siculum laudis erectæq; columnæ gloriam promeruisse legimus OSIRIDEM Ægyptiorum Regem, quod totius mundi plagam felici peregrinatione commensus fuerit. Cujus sepulchro inscriptum fuisse tradit, *Osyris Rex sum, Saturni antiquior filius, qui nullum orbis locum reliqui, quem non attigerim, discens ea omnia, quæ generi humano utilia sunt & necessaria.* Pari laudis encomio evehitur CAROLUS V. Imperator à Meterano, quod expeditis quadraginta itineribus totum ferè orbem habitabilem conspexerit. D. Jacob. Lebleu in Academ. Giessensi quondam Professor Juris & Politic. *in Instruct. futur. Consil. cap. 4. thes. 15.* De LUDOVICO XI. Rege Galliæ Comineus *lib. 1. comment.* ita disserit: Mea quidem hæc est sententia, ut arbitrer eam solicitudinem & molestiam, in qua juvenilibus annis fuit *Ludovicus* Rex, quo tempore deserto patre vixit apud Philippum Burgundiæ Ducem per annos sex plurimum ei profuisse. Nam in eo rerum statu cogebatur accommodare se & servire plurimorum affectibus, & providere, ne, quorum operâ carere non poterat, eos offenderet, & hoc quidem boni attulit ei fortunæ inclementia. Quod si



fuisset educatus, ita ut hodie plerique per Galliam, arbitror eum ex illis tempestatum fluctibus non fuisse emersurum: Sic enim complures instruuntur, quasi ad ludum essent facti & jocum: in vestitu & sermone nihil faciunt moderatè aut prudenter: literarum nullam cognitionem habent: viris bonis atque peritis non patet ullus ad eos aditus. ALBERTUS Elector Brandenburgicus, Achilles Germanicus dictus, cùm sextum decimum annum vix implevisset in Sigismundi Imperatoris aulam à Parente missus est, ut artes imperandi ab Imperatore ipso addisceret. Dn. Georg. Goetzius *in Achil. German.* § 11. Quomodo lætissimos peregrinationum fructus describat celeberrimus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Bentivolius, lege epistolam Dn. Joh. Hieronym. Imhoffs, in quâ *de præsenti Italiæ statu sermo instituitur.*

CAPUT SECUNDUM
DE
EDUCATIONE SUBDITORUM

POSITIO I.

Non solius Principis seu ad clavum Reipublicæ olim Sessuri, verùm etiam Subditorum Educatio maximè necessaria est.

Agricola serit arbores, ut eas in demortuarum locum possit sufficere; non enim curam casui relinquit; Non minor cura juventutis esse debet, ut hæc à teneris formetur probè, Saavedra *symb. polit.* 60. Contemtus enim Institutionis puerorum facilè corruptos in Rempublicam inducit nutritque mores, qui cùm adoleverint, universum cœtum civilem & Rempublicam & ejus administrationem conturbant, prout disserit Petr. Gregor. Tholosan. *lib.* 15. *d. Republ. c.* 1. & si de

futuri seculi Republicæ prognostica quæris: juventutem & educationem inspice, ac inde fausta vel infausta quæque ominare, Georg Richter *in Axiom. œconom.* 48. Unde Vir θαυμάσιος Jacobus Thomasius Philosophus & Professor Lipsiensis *in Orat. pro Aristotel. Breviar. Ethic. Arist. ad Nicom. annexâ p.* 97. ait: Nescio annon Atheniensium Rempublicam hæc maximè afflixerit clades, quod juvenibus de bonâ Institutione non satis prospexerit. Scholæ ergò benè sint institutæ: Uti oculi sunt in corpore, ita Academia in Civitate: ut oculi omnia membra corporis, ita Academia omnes Reipublicæ partes illustrant. Boter. *lib.* 2. *cap.* 4. *d. increm. urb.*

POSITIO II.

Juventus non delicatè sed duriusculè educanda est.

Non pigebit legisse, quæ habet, qui ad exemplum Barclajanæ Argenidis Novas Solymas in Anglia Londini *anno* 1648 publicavit; Quisquis fuit, judicio celeberrimi Historici Joh. Andr. Bosii piæ memoriæ *in dissertat. quæ inscribitur Julii Agricolæ Ortus, Educatio & studia* §. 18. vir certè probus & eruditus, nec vulgaris aut prudentiæ aut judicii. Sic ille incolas Novorum Solymorum primam ætatem instituere fingit: Corpuscula infantium, quantum venia Medicorum licet, ad omnem duritiem sensim adsvefacere, & in eo collocare indulgentiæ suæ maximam ostentationem, ut vitæ casibus perferendis, ab ipsis incunabulis sint præparati. Ubi primum pedibus uti atque insistere possunt, ire docere, decenter & strenuè: addere gestum, motumque totius corporis. Tum inde ad cursitationem impellere; saltandi, nandique, & sagittandi atque ejusmodi studia adjungere: cum ista cautione, ut hæc virium tentamenta moderatè & gradatim exerceantur, ne nimiis & violentis nixibus aut præsens periculum, aut infir-

mam contrahant; Senectutem. Iracundiam atque immodicam flendi libidinem, prima, quæ in Infantibus apparent, vitia, ad hæc contumaciam, superbiam atque invidiam, primum debellanda suscipere: spontaneam patientiæ & benevolentiæ consvetudinem magis artibus & præmiis quàm præceptis conciliare. Lacrymis nihil à se pati extorqueri; quin ad alia quævis remedia divertere. Tum istam puerilis animi obstinationem metu & reverentia frangi. Ultrò superbientes minimè inflare vanis incitamentis, stultisque sermonibus. Liberales atque beneficos esse monere; nec in aliorum miseriis, seu veris, seu fortè fictis, voluptatem capere aut irridere permissum. Præcipuè temperantiæ & continentiæ vinculis coercere impotentiam cupiditatum. Somnum inprimis & gulam moderari: diluculo surgere, ac victu fortuito uti cogi: escas dulces & delicatas rarissimè attingere: rursus interdum ad satietatem usque ingerere. Neque solum hos excessus affectuum refrænare, verum pari studio defectus supplere: metum, pudoremque subrusticum familiari conspectu hominum, rerumque formidabilium sensu allevare. Summam denique artem ac operam intendere in accendendis puerorum ingeniis. Interim salem sobrietatis & modestiæ inspergere, ne in heroica Ethnicorum vitia per intemperiem excurrant. Auspicari hanc disciplinam vel ab initio ipsius infantiæ: tum verò potissimum, cum verba primum proferre condiscunt. Ingenia Ipsorum primum versare in Grammatica, tum in Arithmetica, & Mathematica; artibus, quæ ab humanis institutionibus minimè pendent, atque ad rationis semina elicienda, vagamque aciem tenellarum mentium confirmandam maximam vim habere censentur. Minores & tardioris ingenii pueros simplicibus quæstiunculis: majores, aut præcoces, perplexioribus pensis exercere. Ludos etiam, qui numero vel mensura constent, pro iis exquirere;

rere;

rere: neque vanè aut temerè fulutare concelium. Ante omnia fidem & imaginationem occupare; ad res turpes, tanquam monstra & prodigia cohorrescere discere, ac infinitum atque indivisibile numen summa cum reverentia agnoscere. Mendacem cum mutis animantibus includi, quasi hominem societate indignum. Per hæc initia ad Dei cultum, ad patriæ curam, & caritatem, ad parentum majorumque venerationem, & fraternam benevolentiam cum omni diligentia pueros erudiri. Ac licet hæc educatio pari profectu non ubique succedat, si quis tamen nobiliori ingenio præditus, illum exquiri exsuscitarique; neque ad altiora natum, in domesticis tenebris latentem destitui: qui verò à natura minus prompti sunt, non idcirco fastidiri, & ut omni disciplina indignos damnari; quin imò his diligentiorem operam adhiberi, ut saltem consurgere possint ad ultimum suæ capacitatis gradum, ac olim aliquam reipublicæ partem non ineptè capessant. Hæc ille. Ipse AUGUSTUS Cæsar uxorem & liberos parcè ac sobriè habuit, Sveton. *in Aug. c. 64. & seq.*

POSITIO III

Singulari Præceptorum circa informandos teneros puerorum animos prudentiâ & disciplinâ opus est.

Est Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, Magistra Virtutis. Cyprian. *d. discipl. & hab. virg.* Præclarè Seneca *lib. de Clementia c. 16. & 17.* Præceptor non est studiis liberalibus dignus, qui excarnificat Discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus hæserit sed qui monitionibus & verecundia emendat atque docet. Num quid æquum est, gravius homini & durius imperari, quàm imperatur animalibus brutis? Atqui

eqvum

equum non crebris verberibus exterret domandi peritus Magister. Fiet enim formidolosus & contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. Idem facit Venator, qui instituit catulos vestigia sequi, quique jam exercitatis utitur ad excitandas vel persequendas feras. Nec crebrò illis minatur: Contundet enim animos, & quicquid est indolis, comminuetur trepidatione degeneri: nec licentiam vagandi errandique passim concedit. Abjicias his, licet tardiora jumenta agentes, quæ, cùm ad contumelias & miserias nata sint, nimia sævitia coguntur jugum detrectare. Nullum animal morosius est, nullum majore arte tractandum, quàm homo. Profligetur interim nimia Parentum Indulgentia, ne Præceptoribus in disciplinâ manus ligentur,

Blanda Patrum segnes facit indulgentia Natos:

de quo Lycus Plautinus Pædagogus conqueritur *in Bacchid. Act. 3. Scen. 3.*

Olim populi prius honorem capiebat suffragio
Quàm Magistro desinebat esse dicto obediens.
Ast nunc priusquam septennis est, si attingas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabulâ disrumpit caput.
Cùm adeas Patrem postulatum, puero sic dicit Pater:
Noster esto, dum te poteris defensare ab injuria:
Provocatur pœdagogus: eho Senex minimi pretii
Ne attingas puerum istâ causâ, quando fecit strenuè.
It Magister quasi lucerna uncto expretus linteo.

Matres indulgentiores esse & tenerius solent liberos adamare patribus, quia Matres esse sciunt Suos, Patres autumant. Menard. Periculum autem est, ne liberi ut futiles post vitam non benè actam contemnantur. & in senectute à liberis tales Parentes deserantur, Autor *Oeconom. lib. 1. cap. 6* D.

Johann.

ohann. Eichel *in lib. d. Jur. quo natural. liber. & parent. sibi vicem sunt obstrict. part.* 1. *th.* 28. Utrum Institutio Publica rivatæ præferenda sit, vid. de ea quæstion. polit. disputaon. Dn. M. Christoph. Frider Prætorii *Lips. anno* 1672. *haitam.*

POSITIO IV.

Post Pietatem, quæ ante omnia Subditis inculcanda est, Studiū Morum cordi sit.

Pietas prora quasi ac puppis est omnis felicitatis & sapientiæ, Dn. Benjamin Kraus Dantiscan. in Orat. d. Toga. Virtute Argentorat. anno. 1649. habit. de Pietate vid. fra Cap. V. *de Religione* & Cap. XI. *de Aulâ* posit. III. Auum est judicium Thomæ Mori Cancellarii Angliæ *in Ousculo de Utopia* circa pœnas ob furtum Anglicanas: Vestra, quit, in vindicando furto justitia speciosa magis, quàm t justa aut utilis, siquidem pessimè sinitis educari liberos, & mores paulatim à teneris annis corrumpi, puniendos videlicet tum demum, cùm ea flagitia viri designent, orum spem de se perpetuam à pueritia usque præbueint. Quid aliud, quæso, quàm facitis fures, & *iidem* pletitis? Præclarè quoque in hanc rem Cicero *in Orat. de legib. rar. ad populum* 35. Non ingenerantur hominibus mores m à stirpe generis ac seminis, quàm ex iis rebus, quæ ab sa natura loci, & à vitæ consvetudine suppeditantur, quis alimur & vivimus. CARTHAGINENSES fraudulenti mendaces, non genere, sed natura loci, quod, propter rtus suos, multis & variis mercatorum & advenarum seronibus, ad studium fallendi, studio quæstus vocabantur. IGURES montani duri atq; agrestes. Docuit ager ipse, nihil rendo, nisi multâ culturâ, & magno labore quæsitum. AMPANI, semper superbi bonitate agrorum, & fructu-

um magnitudine, urbis ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine, Ex hac copia atque omnium rerum affluentia, primum illa nata ſunt, arrogantia, quæ â majoribus noſtris alterum Capuæ Conſulem poſtulavit; deinde ea luxuries, quæ ipſum Hannibalem, armis etiam tum invictum, voluptate cepit.

POSITIO V.

Quoniam Literarum Cultores & Amatores paupertate ſæpius premuntur, ut eam ob remoram emergere vix poſſint, Imperantes Stipendia donent.

Bonis quod bene fit, haud perit, Plaut. *Rud. act.* 4. *ſcen.* 5. Groſſe Herren müſſen wiſſen / daß / wenn Land und Leute recht ſollen regieret werden / man bey zeiten junge Leute aufferziehen müſſe / derer man ſich künfftig bedienen könne; Weswegen die lieben Alten ſchöne Stipendia geſtifftet haben / damit auch die jenige / ſo keine Mittel / aber doch feine Ingenia haben / möchten fort gebracht werden / Ioh. Michael Dilherr im Tugendſchatz *p.* 634. §. 13. & hoc honorificum eſt tum apud Exteros, tum Poſteros D. Geier *in Danielem cap.* I. *verſ.* 5. SIGISMUNDUS Imperator, referente Philip. Melanchthone *d. Sigism. Imper.* laudatisſimè dixiſſe fertur; cur non foverem, & liberaliter ornarem eos, quos Deus & Natura præclaris donis & ornamentis nobilitarunt. de ALBERTO Archi-Epiſcopo Moguntino & Marchione Brandenburgico Georg. Sabinus.

Nec fulvum ſibi congerebat aurum,
Doctos munera conferens in omnes
Diſpenſabat opes, manuque largâ
Sacras Pieridum fovebat artes.

Poten

Potentisſimis SAXONIÆ ELECTORIBUS & DUCIBUS palmaria hodie tribuitur laus, quoniam Eorum munificentiâ quamplurimi ſuſtentantur; vid. Ordin. Eccleſ. *ſub tit.* Ordnung wie es in beyden Univerſitäten zu Leipzig und Wittenberg mit unſern Stipendiaten &c.

POSITIO VI.

Non uno eodemque modo, ſed aliter Nobilis, aliter Ignobilis, aliter Agricola educantur.

Rex Poloniæ SIGISMUNDUS reſpondit; Oportet me in regno habere triplex genus hominum, nempe *Ruſticos*, qui agrum colant; *Mercatores*, qui neceſſaria importent & exportent; Et denique *Nobiles*, qui Me & Patriam defendant; quæ vero defenſio patriæ cùm per ſe ardua ſit, & ſimul cum aucupio lucri & quæſtûs vix conſiſtere poſſit, nolim generoſa patriæ defendendæ nata, Mercatorum negotiis implicari. Quamvis ergò omnium non eadem ſed diverſa ſit educandi ratio quælibet tamen publicam reſpicit utilitatem. In membris, inquit Piccartus *in comment. ad Ariſtotel. lib.* 8. *Politic. c.*1. corporis peculiaria ſingulorum ſunt munia, manuum apprehendere, pedum ingredi, aurium audire, omnia tamen conſpirant in unum commune opus, id eſt, ut benè ſe habeat corpus. Sic in navi aliud remigum officium, aliud proretarum, aliud naucleri, omnium tamen communis ſcopus eſt Salus navis.

POSITIO VII.

Parum illuſtris eſt, qui præter Imaginem nihil habet veræ Nobilitatis.

Erasm. *Apopht.* Quidam ad eas laudes, quas à Majoribus acceperunt, addunt aliquam ſuam: uti AFRICANUS

cumulavit eloquentia bellicam laudem. Quod idem fecit THIMOTEUS Cononis filius: qui cùm belli laude inferior fuisset, quàm Pater, ad eam laudem doctrinæ & ingenii gloriam adjecit, Cicer. *lib.* 1. *Officior.* Propterea Nobiles Literarum studiis imbuantur, cùm Nobilitas sit filia scientiæ, Tiraquell. Mœcenas Augusto prospecturus, qua ratione Cives quàm optimi fiant, instituit, ut patricii ordinis & equestris homines, dum adhuc pueri sunt, ad literarios ludos ablegentur; adolescentes autem facti, equos & arma tractare discant. Ita enim statim à puero discentes, quæ adultis agenda sunt, ad omnia negotia aptiores se habiturum: neque metuendum, ne quis eo modo educatus institutusque consilium convellendi status publici sit initurus. Dio Cass. *l.* 52. *pag.* 483. M. FLAMINIUS TOMAROTIUS, Nobilis Romanus, singularis doctrinæ & acuti ingenii homo fuit, Chytræus *in Galateum de Moribus.* Plinius MANILIUM Senatorem appellat maximis doctrinis Nobilem. VALERIUM vocat ex doctrina Nobilem & clarum, Bernegg. *de Nobilit. thes.* 16. PETRUS RONSARTUS gente Nobilis, in Vindocinis natus, Grajæ Latinæque Camœnæ ita familiaris, & omnium Poëtarum, post Augusti seculum, præstantissimus fuit, ut à Johanne Gollandio, Juventutis Parisiensis optimo moderatore, quem heredem scripserat, statua marmorea in Scholæ sacello Cæsaroduni decoratus, inibi anniversario sacro, ac puerorum doctis concertationibus coleretur, Thuan. *lib.* 82. *p.* 62. *lit. B. C. D. E.* Dn. Hanau *de Nobilitat. quæst.* 104. ubi JOACHIMUM CAMERARIUM, virum loco nobili natum, ob Poesiam, Oratoriam, Historiam & solidiorem Philosophiam, artes Mathematicas & Theologica studia maximè commendat; GEORG. & JOHANN CHRISTIAN à BOINEBURG, DIETERIC à BURXDORFF, JOACHIM à BEUST, JOACHIMUS à MYNSINGER lite-

iterarum scientiis æternùm cluunt; & quis nescit hac nostra tempestate generosa pectora generis dignitatem humaniorum literarum fulgore nobilitasse: Instar Omnium memorasse sufficiat VITUM LUDOVICUM à SECKENDORFF Potentissimi Electoris Saxoniæ Consiliarium Intimum, uti & Reverendissimi ac Serenissimi Principis Mauritii Ducis Saxoniæ ac Postulat. Administrat. Naumburgens. Cancellarium, &c. in quo Musæ Gratiæque deposuerunt, quicquid possident; Virum, Bœcleri *in Museo p.*66. & omnium iudicio non ad sui tantùm, sed omnis ævi exemplum & memoriam Illustrem. Non diffitendum tamen est, etiam dari nativis bonis excellentes homines, qui quidem literis operam non dederint, prudentiâ tamen nulli cedant; Quales fuerunt FRANCISCUS GVICCIARDINUS, & PHILIPPUS COMINÆUS, de quo Schleidanus & Lipsius *lib.* 1. *polit.c.*9 *p.*26. FRANCISCUS ARANDA, Aragonius, solâ naturæ bonitate atque ingenii dotibus, citra ullam scientiam, ac citra ulsas propemodùm literas, ita fuit accommodatus ad domos Principum, quibus diu præfuerat, moderandis, ut nusquam non & in consultandis, & in administrandis rebus ac maturandis primas obtinuerit partes. Laur. Valla *lib.*2. *de reb. Ferdinand.* HENRICUS MOMMORANCIUS, Galliæ Conestabilis, vir literarum imperitus, insigni fulsit prudentiâ, Grammond *Histor. Gall. lib.* 5. Unde ROMULUS (qui anno ætatis suæ decimo octavo Imperium instituit, Dionys. *lib.* 2. *c.* 57.) suam politicam potuit discere? aut quo ille usus est in Republ. formanda Romanâ Præceptore? aut primus quis fuit, cui suum acceptum habitum politicum ferre potuit? cùm ante eum nemo talis extiterit, à quo erudiri potuisset, nisi experientia D. Joh. Thomæ JC. & Cancellar. Saxo-Altenburg. *in Colleg. Manusc. ad Politic. Cellar. c.*1. §.7. Studia autem Politica decent Nobiles, & generoso ac favore di-

 gno

gno ingenio curæ sunt disciplinæ politicæ. Socrates *apud Xenoph.* nec assequitur homo virtutem ullam Politicâ præstantiorem Plutarch. *in Caton.* *Modo* vera Politices principia non fucata aut simulata hauriantur. Einer ward von seinem Lands-Fürsten gefragt: Was er studierte? Antwortet: Er wolte ein Politicus werden/und Seiner Fürstlichen Gnaden einmal aufwarten. Den fertigte der Fürst also ab: Mit Hände küssen/mit Füsse ritschen/mit Nesteln/Lappen/Zotten/närrischen Trachten und Modereyen ist meinem Lande nicht zu helffen/du must dir einen andern Herrn suchen. Denn neue närrische Trachten weisen neue närrische Gedancken/Heucheleyen/leere Säckel/verkehrte Gemüther. Närrische Trachten machen keinen Politicum: Wohl Sauffen können/macht keinen Politicum: Sich Gauckleriseh geberden/macht keinen Politicum: Aufschneidereyen macht keinen Politicum: Prahlen und praviren macht keinen Politicum. Gott fürchten/seiner Herrschafft getreu bleiben/Redlich/Ernsthafft/Sittsam seyn gegen jederman/die Warheit lieben/Gerechtigkeit befördern/dieses sind die Tugenden/die Ich an meinen Dienern liebe/die Neusüchtigkeiten hasse Ich wie den Teuffel/Georg. Grumpelzamier *d. Politic. cum not. Joh. Michael. Moschoroschii thes.* 14. Si quosquam alios, sanè Nobiles decet MORUM ELEGANTIA; unde proverbio habetur: Fromm/Weiß und Milde/gehört ins Adels Schilde. Quapropter Nobilis dicitur nonnullis, quasi non bilis, quòd

quòd potius ad Humanitatem, quàm ad Elationem proni esse debeant. Malleol. *in Dial. d. Nobil. & Rustic. c. 7.* Quid prodest filio fortem habuisse patrem, cùm Ipse sit bestiæ haud dissimilis; unde Poeta:

Dein Vater führt den offen Helm und Schild/
Und ist geacht der best im Ritter-Orden/
Du aber bist ein Bub und Bößwicht worden.
Wüst/wie ein Sau/und wie ein Beer so wild;
Ey Liebter/was solls dir für Zierde geben/
Ein Jungker seyn/und doch grob Baurisch leben.

POSITIO VIII.

Peregrinandum est Nobili.

Michaël de Monte *des Essays lib. 3. pag.* 983 Peregrinationem vocat Exercitium Utilitatis plenum; quoniam animum continuâ exercitatione in rebus novis & incognitis reddit sagacem, corpusque otii expers, omnibusque laboribus assvetum. Melior schola non reperitur, in quâ vita nostra majori variarum virtutum ac morum ædificatione imbuitur, quàm in ipso peregrinationis exercitio. D. Lebleu *in Instruct. Consil. c. 4. thes. 6.* Eam tibi ingero, ait Lipsius *cent. 1. Miscell. epist. 22.* & triplici hoc limite designo, *Prudentiæ, Scientiæ, Morum.* Hæc enim omnia peregrinatio adferre debet, si consilio, si ritè instituta. Ac Prudentiam ab ea peti Homerus nobis satis auctor est. Instituta enim illa varia gentium, ritus moresque hominum, formæ civitatum incredibile est ad judicium & prudentiam quàm potenter possint Si tamen non visa aut libata ea leviter: sed admissa, recenta, & collata inter se examinis quadam lance. Quod ante omnia tibi censeo faciendum: Vide inquam, Adi, judica: nec conqui-
xer-

re solum hæc talia, sed in ea inquire. Et inquisitio ab hominibus esse debebit, aut à libris. Vagari, lustrare & discurrere quivis potest; Pauci indagare, discere, id est, verè peregrinari. Lipsius. Lebleu *d.l. thes.* 8. Magna sanè circa peregrinandum *prudentiâ* opus est. In ITALIAM proficiscimur, inquit Lansius *in Orat. contr. Italiam p.* 804. & incredibilibus sumtibus comparamus nobis solummodo umbram alicujus civitatis; sed nobiscum simul domum portamus immanem & integram vitiorum alienigenarum massam. MEDIOLANENSES instruunt in fraudibus; BONONIENSES docent mendacia; VENETI nos faciunt hypocritas; ROMANI nos demergunt in Oceanum Atheismi atque Impietatis; NEAPOLITANI nos transformant in Satyros, sive potius mutant in latrinam & cloacam omnis lasciviæ, luxuriæ & libidinis. Oblitus eram FLORENTINORUM, qui sunt bonorum morum jurati hostes. Quæ autem mala inde nascantur, si quis instar testudinum & onocephali, domî post fornacem remaneat, & ut illud virum politicum & Nobilem dedeceat, lege Philipp. Camerar. *in horis succisiv. cap.* 44. Lepidum est, quod Daniel Gruber. *in discurs. polit. de peregrin. Studiosor. thes.* 52. è Pirckmaj. *in lib. de arte apodemic.* de GLAREANO Professore Friburgensi refert: Nobiles quosdam, cùm audiret ex Italia ipsum videndi causâ venisse, jussit ut cras redirent, qui cùm reversi, Glareanus suâ laureâ indutus, & aureâ torque ornatus, concessit in conclave quoddam elegans & amplum, ubi se in Hemicyclum recipiens, jussit eos ingredi. Nobiles ingredientes Glareanum salutabant: tum ille sedebat immotus, perinde quasi illos non videret: quos etiam ita abire patiebatur. Hoc cùm Itali mirarentur, hancque inhumanitatem per nuncium quendam Glareano exprobrarent, respondit:

Cur

Cur illis inhumanus videor, cùm solùm me videndum veverint? At postea ab illis invitatus, totus dies jucundissimis colloquiis consumptus, ut ita ipsius humanitatem, prudentiam, eruditionem, faceta dicta, servatâ tamen gravitate Itali cognoscerent. Ad peregrinandum necessaria est *Linguarum cognitio*; quæ non negligenda, antequam suscipiatur iter. Qui enim proficiscitur in partes exteras, prius quàm in linguâ Gentis, quam adit, aliquos fecerit progressus, ad ludum Grammaticum vadit, non ad peregrinandum, Bacon. de Verulamio *in Sermon. fidel. p.* 83. Præcepta & admonitiones doctissimas Studiosi peregrinaturi si desiderent, legant Titium Pomponium Atticum Joh. Jacob. Beureri P. P. in Academ. Friburgensi Brisgoeæ, quem illustratum in anno 1668. edidit Jenæ Dn. M. Joh. Nicol. Francke Variscus *aphor. 6.*

POSITIO IX.

Otium, quod nil nisi malitiam perniciemque parit, fugitet Juventus.

Solet ex divitiis & otio partus impiissimus ac monstrosissimus generari, Euripides, Exercitiis ergò tam *Pedestribus* quàm *Equestribus* sese dedat juventus. Sic Plaut. Bacchid. *Act. 3. Scen. 3.*

Ibi cursu, luctando, hastâ, disco, pugillatu, pilâ,
Saliendo se exercebant magis, quàm Scorto aut Svaviis.

Virgil. *lib. 7. Æneid.*

Ante urbem pueri, & primæ flore juventus
Exercetur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursûque ictuque lacessunt.

Lycurgi lege pueri primos annos non in luxuria, sed in opere sed in laboribus agebant, Justin. *lib.* 3. Plato commendans motum *in Timæo p.* 55. subjungit: Optimum illum esse,

qui in semet ex seipso fit, qualis in exercitatione gymnastica. Elegans extat commendatio exercitationis corporeæ Neapoli, in muro horti Capellæ, totidem verbis: Exercitium est humanæ vitæ conservatio: Coloris naturalis lima. Exercitatio dormientis: Naturæ virtutum corroboratio: Superfluitatum consumptio: Otio inimicum: Temporis lucrum: Juventutis debitum, & Senectutis gaudium: Ille ergò solus exercitio abstineat, qui Sanitatis beneficio vult carere. Nath. Chytræ. *in delit. Europæ. pag.* 65. D. Naurath. *ad Hippolit. à Collib. Palat. pag. mib.* 815. Nedum defensio proprii sangvinis Nobilibus haud raro, præsertim in peregrinationibus, suscipienda est, Bocer. *d. bell. & duell. cap.* 6. *pag.* 243. Promovent ejusmodi exercitia Generositatem: ita Alsted. *Encyclop. l.* 35. §. 13. Mediocria exercitia conveniunt illis, qui literarum studiis ex professo sunt addicti. Quod attinet Nobiles Juvenes, omnesque illos, qui ad arma sunt nati & destinati, est operæ pretium, ut asperioribus exercitiis maturè adsvescant; puta jaculandis telis & sagittis, cursui, pugnis, vid. cap. I. pos. IX.

POSITIO X.

Eorum, qui literis operam daturi sunt, selectus ingeniorumque examen prius habeatur, quàm Studio quisquam se tradat.

Ad ea ducendus unusquisque est, ad quæ eum raptat amor; cujus rationem addit Plato 7. *d. Republ.* ne invitus cogatur.

Tu nihil invitâ dices faciesque Minerva:

Horat. *in art. Poëtic. v.* 385. Neq; apud peritos obscurum esse potest, quid discrepet vera & genuina præstantis naturæ indoles ab illâ, qualibuscunque adminiculis & adscititiis coloribus effe-

effecta & elaborata specie ingenii: quæ exteriori rerum scænæ inservire,interiora negotiorum penetrare non potest, Bœcler. *ad Vellej. Paterc. ad Tiber.* Apud ROMANOS Juventutem, utpote futuram Reipublicæ segetem diligenter observabant Censores,ingenia adolescentum explorabant,certoque vitæ generi, Reipublicæ tamen utili, eos adjudicabant, Sagittar. *im differt. d. Censorib.* Dn. Felvvinger. *d. Causis Aristocrat. conservantib. thes.* 13. Præclarè Scrutin. Ingenior. interprete Æschatio Majore *in proœm. ad Lector.* Ubi cognoris, ait, quæ scientia tuo quadret ingenio, alia etiam ac cæteris major se offerat difficultas; cùm nimirum probè tibi cogitandum est, aptior Praxi an Theoriæ tua natura sit. Ista enim duo quocunque literarum in genere adeò sibi contrariantur, adeo diversam ingenii requirunt dispositionem, ut aptitudo unius necessariò impediat habilitatem alterius,haud secus, ac si una earum facultatum è diametro alteri adversaretur. Actiones ex ingenio emergunt; actionum forma similitudine ingenii agentis imbuitur; actionum consilia pariter & eventa juxta conditionem ingenii stant caduntque, Bœcler. *differtat. d. polit. Lipsian. c. 3. sub init.* Alia ingenia,teste Eodem *ad* 4. *Annal. Tacit. cap.* 4. subtilitate cogitandi,celeritate intelligendi, copia & facilitate inveniendi ad miraculum usque præstantia; Contra verò Practica Ingenia eminentes dotes & singularia specimina præ se ferentia,nihil nisi ad actionum humanarum normam sapiunt; maxima quæque negotia in argumento sermonis, consilia recondita de Republica in materia commentationum, inventa nova, mira, gloriosa, in ostentatione cotidiani operis habent. BALDUS magnum illud Jurisprudentiæ Spectaculum,si Medicinæ dare operam perseverasset,non nisi è vulgarissimis,cujusmodi jam tum erat, atque imi subsellii evasisset Medicus, quod naturali, quam id studium requirit, aptitudine desti-

tutus fuerit: ac juris contra studium summam, quæ in ipso erat, legum declarandarum amisisset facultatem. Scrutin. Ingeniorum *d. l.* LAMPERTO DISTELMAJERO (Electorum Brandenburgicorum postea Cancellario ac intimiori Consiliario) adolescenti, neque quicquam de studiis civilibus eorumque honoribus cogitanti, prædixisse *Melanchthonem* memoratur, cùm genitura ejus explorata, fore aliquando dixisset, ut maximi Principis Cancellarius evaderet, summosque in eo munere honores & fortunas stabiles adipisceretur. Atque cùm hoc vir id ætatis doctissimus astrologicis oculis quasique è themate natalitio prævideret, sæpius juvenem cohortatus est, ut juris studia & Eloquentiam, in quibus Minervam felicissimam haberet, diligenter excoleret. Quæ quidem causa fuit, quamobrem Theologicâ facultate, cui unà cum Hebræis literis aliquot annorum operam navaret, ad Jurisprudentiæ cunabula, jam vigesimum ætatis annum egressus sese contulerit, & ex eo tempore ad supremum dignitatis literariæ fastigium felicissimo gradu contenderit. Idem verò Johannem Jovianum, Astrologum istâ ætate excellentissimum in Academiâ Polonorum Cracoviensi, juveni prædixisse ferunt ADRIANO ALBINO, celeberrimo Neomarchicæ Brandenburgicæ Cancellario, uti hæc enarrat D. Justus Reiffenberg in der Politischen Beantwortung ausgestellter drey Fragen *pag. m. b.* 146. Desperandum non est de homine, si adolescentiæ vitia conspiciantur, cùm hæc magnis sæpè virtutibus emendentur. Multi, inquit Cicero *pro Cælio*, & nostra & Patrum Majorumque memoria, Judices, summi homines & clarissimi cives fuerunt; quorum cùm adolescentiæ cupiditates deferbuissent, eximiæ virtutes firmata jam ætate extiterunt. Sicuti vinum quod in dolio placuit, non fert ætatem, quod est durum atque asperum recens, postea placet: ita adolescentia durior

ma-

maturescit & ad frugem pervenit, dicente Seneca. Idem est quod Alex. Com. *in Dom.*

Similis est vir vino indole, atque moribus;
Nam mustum illud, & novum cùm conditur,
Deferveat primùm opus est. Sic & Virum,
Cùm Juvenis est exæstuare: Hinc Sobrium
Mox effici, & severitate præditum,
Militem inde fieri, & esse in ævi reliqvum.

THEMISTOCLIS vitia ineuntis adolescentiæ magnis sunt emendata virtutibus; adeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Cornel. Nepos *in Themistocl.* ARISTOTELES abliguritis omnibus pecuniis, quæ ex hereditate Parentis ad ipsum devenerant, in militiam profectus est. Deinde cum sinistrè, malis avibus, hoc procederet, Pharmacopolam egit. Et cùm fortè in Peripatum venisset, audiens docentium sermones, qvum naturâ multis esset præstantiore, habitum sibi comparavit, quem deinde in opus produxit. Ælian. 5. *histor. var. cap.* 9. Contra autem Nonnulli pueritiam probè traducunt, Viri facti pessimè vivunt. Multæ arbores, quæ citò florent, nullum adferunt fructum, ita quorundam indoles magnam vitæ spem pollicetur, qui simul atque adoleverint, ad ineptissimas mersi voluptates, expectationes fallunt omnium, Plin. *lib.* 16. *c.* 26. 27. TIBERIUS, CALIGULA, CLAUDIUS NERO ab initiis modestos se exhibuerunt, progressu Imperii truculenti fuerunt & crudeles; tam in fine exosi, quàm principio erant gratiosi, Dn. Joh. Conrad. Dieterich *in Histor. Neronis thes.* 3.

CAPUT TERTIUM
DE
MATRIMONIO PRINCIPIS.
POSITIO I.
Princeps cœlibem vitam ne ducat.

Sapientissima oratio est Augusti Imperatoris apud Dionem *lib.* 56. *Histor. Rom.* Quid causæ est, inquit, cur non optima res sit uxor pudica, domus custos administratrixque, liberorum nutrix, quæ & sanum exhilarare, & ægrum curare, lætis utendi rebus socia esse, adversas consolari possit, Juventutis nimiam animi relaxationem coërcere, affectam senectæ austeritatem temporare? Annon sit svave, ex utrisque natum infantem alere & educare, imaginem corporis animique tui, ut in eo adolescente alter tute nascaris? non beatissimum, vitâ abeuntem proprium ac ex seipso editum relinquere, qui in facultates ac stirpem tuam succedat? Stupendum fœmininæ felicitatis & nobilitatis miraculum inter Austriacos est ELISABETHA, Casimiri Regis Poloniæ, quæ Imperat. Cæsaris ac Regis *Filia*, & *Neptis*, Regis *Soror*, Regis *Uxor*, Regum Quatuor *Mater*, ac denique Regis *avia* fuit, Pighius *in Hercule Prodicio p.* 66. Limnæ. *l.* 5. *c.* 2. *Jur. Publ. n.* 6. Est tamen *Ratio Status*, Reginas Virgines abstinere à Matrimonio. ELISABETHA Angliæ Regina inter difficilimas de Nuptiis cogitationes, in quas temporum ratio ex quadam necessitate eam subinde conjecerat, illam apud animum certo constituisse opinati sunt nonnulli, quod cœlibatum magis quàm nuptiis, & Reipublicæ & suæ gloriæ possit consulere. Utique prævidit, si subdito nuberet, sibi ex disparitate dedecus contracturam & ad do-

me-

mesticas simultates & turbas faces accensuram. Si Extero,& se & populum externo jugo subjecturam , religionémque in periculum advocaturam; non oblita, quàm infelix fuerit Mariæ Sororis cum Philippo extero connubium; & quàm infaustum illud proavi Edvvardi IV. qui primus Regum Angliæ à Normanica victoria subditam in uxorem acceperat. Gloriam etiam, quæ sibi innuptæ integra & indelibata mansit,in maritum nuptiis transcribendam timuit. Præterea pericula ex conceptione & puerperio à Medicis & mulierculis ex abditis causis objecta, quæ sæpe animo obversabantur, admodum deterruerunt. Camdenus *lib. 3. Histor.* Caspar Ens *Histor. B. C. in B.* Hæc Regina frequenti Procorum turbâ, quâ fortè vix ulla post hominum memoriam Virgo laboravit. Inter præcipuos,qui erant *Philippus II.* Hispaniæ, *Ericus* Sveciæ Reges : *Carolus* Austriacus, *Henricus Andegavensis*, deinde Franciæ: *Franciscus Alenconius*,postea Andegaviensis, nemo tamen nuptiis propior fuit, quàm postremò nominatus Aleconius. Camdens. *d. l.* Dn. Jacob Thomasius *in dissertat. d. Elisabetha Angl. Regina aphor.* 10. *in explicat.* Reginam Sveciæ CHRISTINAM nubendi facultate se abdicasse constat ex Recessu Regni de anno 1650. §. 5. ibi: Und aber Ihr Königl. May. darwider sich erkläret/ und hoch beteuret/daß Ihr Königl. May. nimmermehr gedencken sich zu verheurathen/ Theatr. Europ. p. 6. p. 1685.

POSITIO II.

Princeps ante omnia secum ponderet, num naturâ ad matrimonium habilis sit, nec ne.

Sin impotens sit, abstineat à ducenda uxore; Ejusmodi enim conjugia scandala præbere crudelesque exitus habere solent. Paria sunt non habere maritum, & habere maritum

ritum

ritum inutilem ait glosf. *in l. plagiarii C. ad L. Fab. d. plag.* Equidem Historici referunt Conjuges illustres Virginitatem servasse. HENRICUS II. anno 1002. duxit in uxorem CUNEGUNDAM, filiam Sigefridi, Comitis Palatini Rheni, cum quâ vixisse fertur voto Virginitatis in thoro sine thoro, Dn. Conrad Dietericus *in Henrico II. thes. 7.* Vixêre hi mutuo consensu multos annos ita ut uno eodemque thoro, ut nec ille sibi quicquam maritalis in eam juris vindicarit, & illa nullas amoris faces experiri unquam voluerit, quæ res eò certior exploratiorque nobis esse debet, quod mortuo marito uxoreque plurima affulserint miracula, quæ tantæ tamque mirabili castitati testimonium cœlitus prædicarent, Joh. Baptist. Egnatius *lib. 4. Exempl.* & memorabile est, quod refert Hartman Schedelius *in Chronic.* Nobilis, inquit, Kunegundis Divo Imperatori juncta matrimonio cum eo in omni castitate usque ad obitum vitam cœlibem peregit. Verùm instigante Diabolo eam de milite suspectam habuit. Ideo super candentes vomeres XV. passibus nudis pedibus eam incedere fecit, quâ ascendente ait: Sicut me, ô Deus, ab Henrico & omnibus aliis intactam novisti, ita me adjuva: Cui vox audita est dicere: Virgo Maria te Virginem liberabit: totamque candentem massam illæsa percurrit. MARTIANUM Imperatorem unica Theodosii filia PULCHERIA jam annis nubilis, maritum legit, pacta primùm, quod eâ in sanctimoniâ viveret, erat enim Deo devotissima, quo factum, ut heredem non relinqueret. Cranzius *lib. 3. histor. Saxon. 3. p. 63.* idem testatur Aventinus *l. 4. Annal. Bojorum*: quodque Pulcheria perpetuæ virginitatis votum ante Nuptias ediderit, hujusque rei illustre monumentum Sacram Mensam auro & gemmis ornatam Ecclesiæ Constantinopolitanæ legaverit, teste Sozomeno *lib. 9. histor. Eccles.* & Evagrio *l. 2. c. 1.* D. Hildebrand. *in*

libr.

libr. d. Nupt. veter. Christianor. EDUARDUS Rex Angliæ & *Ediva* Regina de castitate servanda paciscuntur, nec huic fidei alium, quàm Deum testem æstimant adhibendum. Fit illa conjux mente, non carne; ille nomine Maritus, non opere. Perseverat inter eos sine actu conjugali conjugalis affectus, & sine defloratione virginitatis castæ dilectionis amplexus. Diligit ille, sed non corrumpitur, diligitur illa, nec tangitur. Ailredus *in vit. Edwardi p.* 378. BOLESLAUS Pudicus Rex Poloniæ cum CUNIGUNDA Belæ Regis Ungariæ filia nuptias ad fovendam perpetuam Virginitatem contraxit, Mechov. *lib.* 3. *cap.* 38. Unde Clemens Janitius:

Conjuge consenuit cum Virgine Virgo Maritus
Addictus studiis casta Maria tuis.

Ast, quæ laus est, inquit Bodinus *lib.* 5. *d. Republ. c.* 1. Henrici Imperatoris, quod perpetuam cum uxore coluerit pudicitiam? Melius CASIMIRUS I. Poloniæ, & LADISLAUS Bohemiæ Reges, qui quod ad Venerem inepti essent, à nuptiis semper abstinuerunt. Dieteric. *loc. citat.* Joh Cluverus *in Epit.* Compactum castitatis in dubium vocat, cùm *Dithmarus*, Henrici coætaneus, sat curiosus cæteroquin etiam somniorum Monastericorum annotator, ejus rei mentionem non faciat, Dn. Christoph. Caldenbach. Prof. Tubingens. *in pentad. Imperat. Germanic. Saxonic. in Henrico II.*

POSITIO III.

Princeps in contrahendo matrimonio prudenter procedat.

Joh. Hieronym. im Hoff. *singul. polit. cap.* 2. ROMANI arbitrati sunt Matrimonium ineuntes quinque Deorum ope indigere; *Jovis* scilicet, *Junonis*, *Veneris*, *Suadæ* & *Dianæ*. Plutarch. *in quæst. Roman. quæst.* 2. Prudentissimus Politicorum

Scriptor Joh. Barclajus sub nomine Melandri *lib. 3 Argenid.* de matrimonio Principum ait: Privatorum est eligere matrimonia ex amicitiæ affectu, vel morum concordiá. Nobis illa svavitas exuenda. Regnum enim fortuna est, ut nunc indignos & exosos per sanctissima fœdera sibi conjungant; nunc omnium nexuum jura, omnisque sangvinis caritatem inhumana necessitas negligat. Carissimus esse solet, qui utilitate præcipua potentiam nostram alit; & affinitates pulcherrimæ censentur, quæcunque regnum stabiliunt. Si liberes genuissem, posses credere, non me hic tui habere rationem, sed mei. Scio enim Regibus sæpè filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitiæ specie volunt, vel ad tempus placare, nihilque deinde sui sangvinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuò inierunt reverentia motos, pacem & bella ex temporum & fortunæ æstimare ingenio. Equidem durum est libertatem liberam non habere in matrimonio, unde liberi procreantur, Aur. Cassiodor. *lib. 7. var. ep. 4.* add. Dn. Christ. Adami. Ruperti, Professoris quondam Altorphini *Observat. in Flor. lib. 1. cap. 25. §. 1.* Spectandæ tamen sunt VIRTUTES ANIMI, DOTES CORPORIS, GENUS, ÆTAS, PATRIA, RELIGIOq;. Egregiè Tacitus *lib. 12. Annal. cap. 6.* ait: quando maritandum est, deligi oportet fœminam nobilitate, puerperis, sanctimoniá insignem, quæ alias claritudine generis anteeat. Quatuor Virtutes Regiarum Conjugum symbolicè figurantur apud Emmanuel. Thesaur. *Inscription. pag. mih.* 135. scilicet Intemerata Fides; Vera Pietas; Mutua Concordia; Fœlix Fœcunditas. Fidei symbolum est Sceptrum, cujus in summitate Dextra Dextram complectitur. Pietatis, Inexstincta Vestalium flamma super Aram. Concordiæ, Anulus Anulo cohærens sympatico Magnetico attactu. Fœcunditatis vitis jugata.

Nam

Nam truncis Oleæ melius propagine Vites
respondent. Virgil. *lib. 2. Georgic.*

Pietas omnium reliquarum fundamentum est. THEODOLINDA Agilulphi Lombardiæ Regis Uxor maritum ab Idolorum cultu abstraxit, & Christianæ Religionis incrementa plurium illustrium fœminarum ope promovit. D. Joh. Scmidel. *d. desponsat. Illustrium.* Quapropter Papa Anacletus scripsit ad Reginam Lotharii Saxonis: Auditum habemus, charissima in Domino Filia, quod verè Christianâ sanctitate refulgeas, quod Ecclesias diligas, quod servos Dei piis ubique solatiis foveas. Hortamur nobilem prudentiam tuam, & in Domino commonemus, ut inter regni curas & secularium negotiorum solicitudines, & seculi glorias cor tuum semper ad Dominum habeas, & te quandoque cogites morituram, non de piis operibus mundi laudes affectes, ne dum hominibus foris placere delectat, Dei intus oculis possis despicere. Virum tuum charissimum, filium nostrum „Lotharium, Christianissimum Regē sedulis suggestionibus „adhortare, ut sic terreno regno humana potestate præsideat, „quatenus ipsum, qui supra nos est, per quem Reges regnant, „cautè semper & diligenter attendat. Baron. *tom. 12. A.* 1130. Contra autem FASTRADA Caroli Magni uxor maritum à naturæ suæ benignitate, ac solitâ mansvetudine ad nescio quæ crudelia facinora compulisse dicitur. Eginhard. *in vita Caroli Magni cap.* 20. Sapientissimum ergò monitum est, quod Wilhelmus Hassiæ Landgravius, Senior, Philippi filius in testamento filio Mauritio dedit, verbis: Es soll unser Sohn / nach Rath unseres freundlichen lieben Bruders und seiner Räthe / nach einer ehrlichen Heurath und Christlichem Ehegemahl trachten / und in seinem Verheurathen mehr auf Gottseeligkeit und

Erbarkeit der Person/ denn auf die Schöne/ welche nicht lange währet/ und mehr auf gute tröstliche Freundschafft/ denn auf hohe Heurath/ denen Er den Schul-Sack muste nachtragen/ sehen. In alle Wege aber hüte Er sich/ eine zu nehmen/ so seiner Religion nicht ist; Denn GOtt verbeuts nicht vergeblich/ so siehet man auch aus vielen Exempeln/ was vor Glück dabey ist/ &c. D. Theodor. Reinkinck in der Biblischen Pollicey im dritten Buch *axiom.* 3. FORMA sit Mediocris; Notabilis enim deformitas fenestram aperit Adulteriis: Nam, ut ait Ausonius:

Deformis Uxor cui sit, Ancilla Elegans,
Uxorem habere, subigere Ancillam velit.

Hinc errant illustres personæ, quòd aliorum relationi, oculis aut pictoris penicillo nimium fidant, nec ipsi sociam thori adeant, moresque & ingenium explorent; Proxenetarum enim proprium est, ut pecunia corrupti, non minus ut pictores, ex Rana Dianam faciant, Limnæ. *in Not. Regn. Franc.* Neque amor ponatur in fugace *Pulcritudine*:

Sæpe etenim occulüit picta sese hydra sub herba,
Et nivea irrepsit furialis lilia vermis.
Quin animus nequam, atque occulto crimine plenus
Sub specie formæ incauto se sæpe marito
Vendidit & miserè tulit invida jurgia lecto.

Arnis. *d. jur. Connub. c.* 3. *sect.* 7. *num.* 23. Georg. Schönborn. *Polit. lib.* 1. *cap.* 6. Quid est speciosa mulier? Sepulchrum dealbatum, nisi fuerit sobria, casta, pudica. Pulchritudo enim sine his virtutibus est præcipitium patens, venenum inspicientibus compositum. D. Chrysostomus *super Psalm.* 50. E-

LISA

LISABETHA Bavarica Friderici Electoris Brandenburgici Uxor & Mater Alberti, Achillis Germanici dicti, ob ingentes tam animi, quàm corporis dotes *Formosa* dicta est, Dn. Georg. Götzius *in dissertat. Achilles Germanicus sive Albertus inscript.* §. 8. Prudenter consulit Principi uxorem ducturo. D. Schmidel. *cit. loc.* Non abs re fore, si fidei ac curiositatis probatæ ministrum sub alia persona aliquamdiu in eâ aulâ, ex quâ Conjugem Princeps sibi destinavit, foveat, qui ad quævis etiam minima attentus omnia quàm diligentissimè, sincerè tamen, perscrutetur.

POSITIO IV.

Æqualitas in contrahendis Personarum Illustrium Nuptiis attendenda est.

Legislatores Romani in lége Juliâ de maritandis Ordinibus constituerunt, Ne Senatori Ordinis Viri eorumve liberi indignas nuptias contrahant, quoniam id in totius Ordinis ignominiam vergat. Nicol. Pets. *d. pactis. dotal. c. 6.* 156. CATONEM in contemtum se potuisse scribit Plutarch. *in Catone Majore*, quod præter ætatem & dignitatem suam contraxisset nuptias cū Solonii Scribæ sui filia. ERICUS Svecorum, ULADISLAUS Polonorum & UDALRICUS Bohemiæ Reges ob connubia Regiæ dignitati penitus incongrua, Proceribus Regni è solio regio vel deturbati fuerunt, vel illationes varias sustinuerunt, Arnisæ. *de jure connubior cap.* sect. 6. *num.* 16. ULDARICUS Dux Bohemiæ captus amore puellæ cujusdam rusticæ, quam ad rivulum aliquem videlavantem, disſvadentibus istam dicebat: vel unicâ nocte puella erit Principissa. Reinking. *loc. cit.* adde Dn. Joh. Walther Historisch. Spatziergang *part.* 1. *histor.* 6. ubi in quâ Principem fæmellam rusticam duxisse pluribus re-

fert REGNATUS Comes Gelriæ maximè obæratus de Consilio ArchiEpiscopi Coloniensis, Mercatoris cujusdam Mechliniensis unicam duxit filiam. Frosard. *lib.* 3 *Histor.* Quæ tamen immaturâ morte prærepta est: ex hoc matrimonio prognata filia *Isabella* tanquam sordida hereditate depulsa, & â Maria sorore ex Eduardi III. Regis Angliæ sorore, exclusa fuit, necquicquam contradicente Johanne Blesense ejus Marito Arnisæ. *d. jur. Connub. c.* 3. *sect.* 6. *num.* 15. *in fin.* Exempla tamen *Inæqualium Matrimoniorum* haud desunt, ubi non attentâ sociæ inferiori loco natæ conditione nobilitas non dejecta, sed elata fuit. Sic FERDINANDUS Archi-Dux Austriæ, Imperatoris Ferdinandi I filius (cui in divisione paternæ hereditatis Comitatus Tirolensis, Landgraviatus Alsatiæ & Brisgoviæ aliæque in Circulo Svevico Austriacæ Domui competentes Dynastiæ cesserunt) amore captus, PHILIPPINAM VVELSERIANAM, Patriciam Augustanam uxorem duxit, quæ Patri progenuit duos filios, nempe ANDREAM de Austria, qui postmodum Cardinalis factus, ac in Episcopum Constantientem Brixensemque, & Abbatem Murbacensem electus fuit, ut & CAROLUM Marchionem Burgraviensem, Landgravium Nellenburgensem, & Comitem Hohenbergensem, qui non tantùm Ducalem dignitatem & titulum habuit, sed etiam VVILHELMI ultimi, Ducis Juliacensis & Clivensis filiam SYBILLAM uxorem duxit, & ubique Ducis locum & honorem occupavit, ab omnibusque Imperii Principibus, maximè vero â Friderico Duce VVirtenbergico, summis honoribus affectus fuit. Aug. Thuan. *histor. lib.* 43 Henning. *in Genealog. part. priori* Autor *Stemmat. Comit. Tyrol.* FRIDERICUS I. Elector Palatinus Nobilem fœminam à TETTINGEN connubio sibi junxit, Sprenger *lib.* 3 *Instit. jur. publ. c.* 30. Agnato & filio suo Adoptivo *Philippo* omnes ditiones reliquit, natis

ve-

verò ex thoro suo assignavit quasdam Dynastias ; Natû majorem Ecclesiæ Spirensis Canonicum, alterum vero Comitem *de Lewenstein* effecit, unde hodierni Comites de Lewenstein, Abbas Tritemius *in gestis Friderie. I. ibique* Marquard Freher. *in notis*. Philip Simon *in Chronic. Episcopor. Spirens.* EZARDUS Secundus Comes Frisiæ Orientalis Catharinam Sveciæ Regis filiam duxit, Ritterhus. *in oper.. Genealog. d. Comit. Frisiæ Oriental*, OCCO de BROKHE uxorem duxit *Mauritii* Comitis de Oldenburg filiam Matre de Brunsvicensibus Ducibus ortâ Dn. Joh. Michael de VVitte *dissert. potestate maritali cap.* 4. *thes.* 6. Est tamen *Ratio Status*, adque conservationem Familiæ quàm maximè facit, ducere Uxorem ad MORGANATICAM. Tale Matrimonium reipsâ le est & verum, licet non solenniter contractum, effectuque vili quodam destituatur, Grot. *d. jur. Bell. & Pac. lib.* 2. *c.* 5. §. 15. EORG. FRIDERICUS MARCHIO in Baden & Durch, jam in senio constitutus cum Virgine ELISABETHA TOTZIN, Præfecta in Retcleno &c ... ussenbergensis filia, latrimonium ad Morganaticam donationem contraxit, c lege, ut tam Uxor, quàm Liberi certis annuis reditibus ntenti à successione bonorum familiæ abstineant. Henric. lmuth *in Respons. jur. pro matrimon. cum Virgin. Nobil.* FERINANDUS filius Wilhelmi Ducis Bavariæ anno 1588. rem duxit MARIAM PETEMBEKIAM. hoc pacto, Liberi ex hoc matrimonio orti *Comites de VVartemberg & anmluer* sint, nec præter quædam bona pro alimentis as_ nata, quicquam spei successionis in Ducatu Bavariæ ha ant D. Myler. *d. l. cap.* 6. *thes.* 13. Porrò *Æqualitas Ætatis* atdenda est. Inæqualium enim conjunctio haud stas & concors esse solet. Aristotel. *lib.* 8. *Ethicor. cap.* 1. PHIPPUS II. nuptias Alexandri Parmensis cum sorore Fersiensis Ducis, quas cogitaverat Pater Octavius, disvasit,

quod

quod ætate usque adeo discrepent, ut malè convenire possint, Strada *Dec.* 1. *lib.* 4. Inæqualitas quoque Religionis vitanda est:

Quam malè inæquales vitâ & pietate maritant.

vid. caput antecedens. Polonorum Princeps MIESCA filiam Boleslai DRAHOMIRAM cùm peteret uxorem dari, non ante addixit, quàm fieret ille Christianus, Histor. Bohem. *lib.* 5. *fol.* 32. Dietric. *in Ottone Magn. thes.* 4. *in fin.*

POSITIO V.

Principum matrimonia pro commodissimis Instrumentis Imperia Regionesque connectendi, ac meliores fortunarum suarum accessiones faciendi æstimata sunt.

D. Myler *in Gamol. Princip. cap.* 4. *thes.* 1. & hæc est, quâ sæpè transitus fit ad Imperium. Arnold. Clapmar. Modus ille acquirendi regna & provincias ex mente Limnæ. *in annotam. ad Capitulat. Caroli V. voce* Ertz-Hertzog *n.* 4. *pag. mih.* 66. tanto est humanior, modis illis, qui fiunt per lanceam ferro armatam: quanto basia verberibus suaviora; quanto amor violentia: & liberorum procreatio est præstantior hominum strage. DARIUS principio Regni, CYRI Regis FILIAM, regalibus nuptiis regnum firmaturus, in matrimonium recepit, ut non tam in extraneum translatum, quàm in familiam Cyri reversum videretur Just. *lib.* 1. AGRICOLA DOMITIAM splendidis Natalibus ortam sibi duxit, idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit, Tacit. *cap.* 6. VENETI per contractum matrimonium Regnum Cypri in suam potestatem redegerunt, Paul. Paruta *in descript. bell. Cypr. in princ.* OTTO Magnus Im-

mperator Germanorum cum Imperatore *Nicephoro* Græcorum pacem fecit; Nam filia dicti Imperat. Græcor. Ipsius Ottonis M. Augusti THEOPHANIA ejusdem nominis filio, videlicet Ottoni II. Imper. matrimonio copulatur, cui *Sicilia*, *Apulia* & *Calabria* cedunt in dotem, quæ sic de manibus Græcorum juri ejusdem Romani Imperii obvenerunt, licet nunc per alios, qui metunt, ubi non seminaverunt, sub aliis titulis occupentur. Theodor. â Niem *in Nemore Unionis tr. 6. c. 33. pag.* 482. GISELBERTUS Lotharingius eo fine ab Henrico Aucupe adscitus Gener, ut per societatem matrimonii cum GERBERGA filiâ Germanico Regno firmius sociaretur Lotharingia. VVitichind. *l.* 1 *Annal. p.* 10. Quæ tamen â morte Giselberti nupsit Regi Franciæ, Dieteric. *in Histor. Henr. Auc. p. thes* 2. Quis ignorat Matrimoniis Coronam ANGLIÆ sibi acqvisivisse AQVITANIAM, Coronam GALLIÆ BRITANIAM, MAXIMIMIANUM I. cum conjuge MARIA, Caroli Audacis ultimi Burgundiæ Ducis filia unica herede exasse recta obtinuisse INFERIOREM *Germaniam* Limnæ *lib.* 5. *j. publ. cap.* 2. *num.* 43. D. Strauch. *differtat. exoteric.* 1. *thes* 2. Pontan. Heuter. *d. famil. Austriac.* Iohan. Boterus *in relat. sive descript. famil. Austr. Imper. & Dition.* Filium ejus PHILIPPUM per Johannam, Ferdinandi Catholici & Isabellæ Uxoris ejus filiam, totam sibi subjecisse HISPANIAM. Hieronym. im Hoff. *Rat. Stat.* 2. Limnæ. *in Not. Gall. lib.* 2. *c.* 9. *lit.* 1. FERDINANDUS CAROLI V. frater HUNGARIAM ANNÆ uxori acceptam retulit, Boter. *d. rat. c. lib.* 8. *vid.* Anonym. *d. Gent. Austriac. p.* 2. *cap.* 15. ALBERTUS Archidux per ISABELLAM Hispanam acquisivit potentiores BELGII PROVINCIAS, Hornius *Orb. Polit. p.* 2. Libenthal *exercit. polit.* 6. *thes.* 52. Dn. Sebastia. Ramsbeck *d. Magno Imperio membr.* 2. §. 19. IOANNES LA-

BRETANUS vel Albretanus Dux per conjugium CATHARINÆ, Navarræ Reginæ hæreditariæ, Rex NAVARRÆ factus est. EBERHARDUS Comes VVurtenbergensis ducta HENRIETTA, filiâ Henrici Comitis Montpelgardensis sortitus est MONTPELGARDIAM. Crusius *annal. Svev. lib.* 6. *p.* 3. *c.* 11. EBERHARDUS VVurtenbergensis Friderici ultimi Teccensium Dynastæ unicam filiam ducens maximam partem Ducatus TECCENSIS agro VVurtenbergico acquisivit, Pont. Heuter *tract.d. Habspurg. orig. c.* 8. *p.* 25. HENRICUS Hassiæ Landgravius matrimonio sibi junxit FILIAM PHILIPPI Comitis in CATZENELLENBOGEN Comitatum illum provinciis suis adjecit, Rittershus. *part.* 1. *feudor. c.* 16. *num.* 20. ViceComes TURENIUS, Ducce BULLIONE in matrimonium ducta, Principatu illo auctus est, Hippolit; â Collibus *in Princip. cap.* 5. add: exempla alia apud Girol: Franchetta *in seminar. stat. & bell. pag.* 165. Magna quoque Pecuniæ summa Dotis loco sæpius accipitur, DOS GALLIÆ & HISPANIÆ Regis eadem est, nempe *Quingenta Scudorum Millia*: Singulis scudis tredecim realium pretio computatis. Stat. partic. Ferdinand. II; *p.* 59. HENRIETTA MARIA Britanniæ Regis Sponsa anno 1625. *Octingenta Coronatorum millia* dotis loco accepit. Oesterreich. Lehrb. *lib.* 13. *p.* 435. D. Ernest. Gockelius *d. Europæ Regib. cap.* 2. *num.* 27. Caveat tamen Is, monente Schonbornero *lib.* 2. *Politic. cap.* 16. qui hoc pacto Imperium acquisivit, ne frena gubernationis â conjuge sibi eripi patiatur: suo nomine pleraque agat, atque ita si autoritatem apud suos, metum apud hostes afferat.

POSITIO VI.

Matrimoniis Principum Pax & Amicitia pangitur & promovetur.

Ex-

Expensis, ait Gvevarra *in Horolog. Princip. lib. 2. cap. 2.* omnibus mediis, cunctisque remediis ad conciliandos inter se inimicos ponderatis, nihil expeditius, nihil efficacius est Matrimoniis. Tanta enim est Conjugalis sacramenti excellentia, ut in aliis amicitias pariat novas, in aliis inimicitias extingvat veteres. Amicitiæ per connubia contrahendæ mos priscis firmissimus habebatur, Dion. *lib.* 2. Istasque confœderationes, quæ per Connubia fiunt, honestas Pacis inter Principes contrahendæ rationes vocat Thuanus *libro Histor.* 1. LAVINIA Latini filia legitur in matrimonium data ÆNEÆ Livius *lib.* 1. *c.* 1. AGAS Cyrenarum Rex BERONICEN, unicam filiam ad finienda cum Ptolomæo fratre certamina filio ejus despondit, Justin. *lib.* 26. *c.* 3. GRAM Rex jam regno Sveciam tenebat cum Daniâ; inde de finibus controversia quoque illi intercesfit cum Rege Finorum. Utrinque arma parantur, & ducunt in adversum. Sed tamen priusquam explicaretur acies, colloquium fuit de legibus Pacis; per quam occasionem Rex Daniæ vidit spectatæ formæ Regis Finnorum filiam, & primo statim aspectu ita animo perculsus est, ut amaret pacisceretur que cum hoste, si filiam illi Conjugem permitteret, se arma positurum, Cranz. *Chron. Saxon.* 2. Bellum inter Gallos & Burgundos per longum tempus gestum Sponsalibus CAROLI DELPHINI & filiæ MAXIMILIANI I. Imperatoris fuit compositum, Paul. Æmilius *lib.* 9. ADAULPHUS Rex Gothorum ductâ in uxorem PLACIDIA, Honorii & Arcadii Imperatorum Sorore, opem ab his accepit ad propulsandum exitialem Vandalorum, Francorum, Burgundiorum Alanorumq; impetum. Machiav. *lib. Histor. Florentin.* HENRICUM II. Regem Galliæ, ELISABETHÆ filiæ nuptiis pacem cum PHILIPPO Hispaniæ Rege sancivisse docet Bulengerus *lib.* 1. *Historiar.* LADISLAUS Rex Poloniæ à bello Hungariæ destitit, cùm Regina Ei &

I 2 Fra-

Fratri Casimiro ambas filias conditionibus desponderet, quo factum, ut Ladislaus postmodum copiis Hunniadis contra *Amurathem* II. conjungens tam fortiter Turcas debellârit, adeò ut Amurathes de morte sibi consciscendâ consilium cœperit. Carion. *Chron. l.5. p.* 845. LUDOVICUS XII. Galliæ Rex acceptis aliquot cladibus Ferdinando in matrimonium dedit Germanam FOXIAM ex sorore Neptem, Thuanus *lib.1. histor.* FRIDERICUS Imperator post pacem cum GVILIELMO Siliciæ Rege conciliatam, ab Eo CONSTANTIAM uxorem HENRICO filio postulavit, Sigon. *lib.15. d. Regn. Ital.* Matrimonio Regis Galliæ LUDOVICI XIV. & Hispanicæ ANNÆ TIRESIÆ Pax condita est, Benjamin Prioli *ab Excessu Ludovici XIII. d. reb. Gallic. Historiar. lib.* 10. Historiam istius Pacis anno Christi 1659 ad Pyrenæos Montes Arbitris Moderatoribus *Cardinale Mazarino & Ludovico Mendez de Haro* constitutæ, ex Italico Comitis Galeatii Gualdi latinâ translatione donavit Dn. Petrus Axen Sleswicensis. Unde Petrus Berthault Presbyter *Orat. d. Jesu*, Archi-Diaconus & Canonicus Carnotensis Lusit:

Este alacres populi, rata Pax, jurataque; Reges
Fœderis æternis jungit amore Duos.
Qualis Hymen, quantusque, & quàm Pax longa futura est,
Quam talesque Viri, totque dedêre dies.

In hoc tamen Politici ad unum omnes conveniunt: Pacem & Amicitiam ejusmodi *Intutam* & *Subdolam* esse; & quamplurimos Matrimoniis istis ad fraudendum uti, & inter Instrumenta decipiendi habere, Bœcler. *in not. lib.* 1. *Annal. Tacit.* Affinitas sacra inter Reges contrahitur, in multam spem concordiæ, tamdiu perstituræ, quamdiu utilitas sinet; ea nempe Regum norma est & ratio, Joh. de Bussieres Belliocensis *Histor. Francic. part. 4. lib. 24. pag.* 496. *ad annum Christ.* 1615. SAULES Hebræo-

bræorum Rex Michal filiam Davidi sibi inviso in matrimonium tradidit,quo promtius illum subverteret. 1.*Sam*.18.*vers*. 20.ANTONIUS Triumvir ab Augusto nuptiis sororis illectus subdolæ affinitatis pœnas morte exsolvit,Tacit. *lib*.1. *Annal.c.* 8.*ibique* Forstner. *in not*. Qvamdiu JULII Cæsaris, ut Soceri,& POMPEJI MAGNI,ut Generi, duravit affinitas, nulla inter utrumque extitit simultas, aut odium. Postquam verò (Juliæ abortu) divortium Pompejus cum domo Julii fecit,tam capitales inter illos extiterunt inimicitiæ, ut in bella postea teterrima eruperint,ac tales tantæque fuerint,ut Pompejus caput invitus amitteret, & Julius Cæsar immaturo vitam finiret exitu. Gvevarra *cit. loc.* ANTIOCHUS cùm callidè filiam suam CLEOPATRAM desponsasset PTOLOMÆO Epiphani,hoc anno eam illi tradidit,data dotis nomine *Cœlesyria* & *Judæa*; tali affinitate affectans parare sibi viam ad totam *Ægyptum* sibi occupandam,& sic reddere se potentiorem adversus Romanos. Sed fefellit Antiochum astutia sua: Nam quia Ptolomæus & Duces ejus sentiebant dolum , cautius se egerunt,& Cleopatra magis Viri partes,quàm Parentis fovit,Torniellus *ad A.M.*3856. Qvandoque notæ sterilitatis fœminæ illis elocantur,quorum posteritatem sobolis defectu volunt extingui, Forstner *in not. ad Tacit. cap.* 60. Eo fine *Carolus* V. Imperator *Germanam*, Ferdinandam Catholici viduam , ingentium opum , sed compertæ sterilitatis *Ferdinando* Calabriæ Duci uxorem dedisse dicitur. Gvicciardin. 15. *histor.*

POSITIO VII.

Sangvinis jura in Illustrium Personarum connubiis quidem sunt attendenda; Principibus tamen Nuptiæ quandoque permittuntur,quæ Privatis vetantur.

Schulzius *in Synopſ. Inſtit. tit. de Nupt. lit. e.* quia parem thori Sociam non tam facilè inveniunt,ut privati, Hænonius *diſp. 6. theſ. 4.* multaque conceduntur Principibus & Illuſtribus Perſonis (ad quos leges poſitivæ humanæ de graduum prohibitione non ſpectare videntur, cùm iisdem ſint Superiores, Libenthal *Colleg. Polit. exercit. 8. qu. 2.*) quæ aliis denegantur, Ludovicus à Schora *var. conſil. 3. quæſt. 3. num. 9. vol. 3. var. conſil. 3. n. 9.* FERDINANDUS Rex Neapolitanus ex diſpenſatione duxit amitam ſuam. Loffred. *conſil. 50. num. 55.* HENRICO Regi Angliæ diſpenſatio eſt facta, ut duceret defuncti fratris viduam, Pariſ. *conſil. 68. num. 138.* SIGISMUNDUS Rex Poloniæ duas ſorores ſucceſſivè habuit in matrimonio. Beuſt. *d. Matrimonio c. 51.* Magna licet poſſint Principes, poteſtatem tamen iſtâ abuti non debent. Neque enim, ut Tacitus de moribus Germanor. *c. 7.* loquitur, Regibus infinita aut libera poteſtas conceſſa eſt. vid. Cap. ult. d. Autorit. ſ. Exiſtimat. Princ. poſit. III. CLAUDIUS notatur, quod Neptem in uxorem duxerit: Ne fœmina experta facunditatis, integra juventa, claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret. Tacit. *Annal. lib. 12. cap. 2.*

POSITIO VIII.

Fiunt Deſponſationes inter Perſonas Illuſtres, ætate licet Infantes & Impuberes, ut Nuptiæ differantur.

Quoniam ante pubertatem conjungi prohibentur, & matrimonium juſtam requirit ætatem. ANDREAS Hungariæ Rex ad corroborandam pacem cum Henrico III (IV) Imperatore concluſam, ejusdem filiam SOPHIAM filio ſuo adhuc dum puero, ſponſam obtinuit, Anton. Bonfin. *d. reb. Hungar. Dec. 2.* Herman Contract. *in Chronic. ad Ann.* 1059. ELISABETHA Andreæ Hungariæ Regis & Comitis Bertoldi

to di de Andechs filia, in infantia LUDOVICO Landgravio Hassiæ & Thuringiæ desponsata fuit, Beckenstein *in Chr nic. Landgrav. Thuring. d. Lud ov c.* VI. *anno* 1219. Wigul Hund im Bayrischen Stammenbuch *part.* 1. *tit.* von denen Grafen von Andachs *fol.* 18. refert: Herr Henrich Notthaft hat seine töchter ARGULA, Ulrichen / Herrn Jobsten Sohn / versprochen / doch solte das Beylager erst über Eilf Jahr werden. Inter ALEXANDRUM III. Scotorum, & MAGNUM Norvegorum Reges, de Hebridibus Insulis certantes, pax facta his legibus: Magnus & Norvegorum Primates omni se jure Hebridum abdicarent, ac pro eo Alexander quatuor marcarum millia argenti Norvego Regi numeraret, & in singulos annos centum marcas argenti penderet; MARGARITA Alexandri filia vix dum unum annum nata, HANGONANO Magni filio, in cunis adhuc vagienti, dum uterque ad maturam pervenisset ætatem, matrimonio jungeretur, ex H. Boetii *lib.* 13. Lebleu *d. fæderib. thes.* 32. Ejusmodi autem desponsationes tanquam immaturæ valdè lubricæ sunt & suspectæ. CAROLUS V. repudiata MARIA Angla pingviori fortunâ inventa, duxit Regis PORTUGALLIÆ filiam Bell. *lib.* 3. *comm. Arnis. d. l.*

POSITIO IX.

Castus sit amor matrimonii in Unitate.

Unitatem bruta multa servant, videlicet Cantharus piscis, Cameli, Elephantes, Columbæ, Turtures, Cornices, & Ciconiæ Joach. Camerar. *cent.* 3. *emblemat.* 60. *& cent.* 4. *emblem.* 33. *p.* 34. Nec honestum est, unum virum habere habenas duarum mulierum: sed intuens in unam lecti sociam Venerem, est contentus, quicunque non vult malè habere. Euripides *in Androm.* Quis nescit OLYMPIADIS in Philippum

dum iracundiam, quod CLEOPATRAM in Societate thori sibi conjunxerat ∵ Justin. *lib.* 9. XERXIS Uxoris Zelotypiam & furorem contra MASISTAM ∵ Herodot. *lib.* 9. Dantur tamen exempla, ubi permissu Conjugis Concubina fuit admissa. LANDGRAVIUS H. triorches tam inexhausti ad usus venereos succi fuisse dicitur, ut ipsius Uxor eundem toties admittere non valeret; hinc Landgravius iste, alioquin castus, concubinam ex uxoris permissu, negotio cum Sacerdotibus communicato, superinducere fuit coactus, uti ex Thuani *lib.* 41. refert Jonston. *Thaumatog. class.* 10. *c.* 5. *art.* 3. Sanè CAROLUS M. quatuor habens Concubinas, teste Eginharto. *in vit. Carol. M. cap.* 18. de insigni peccato, quod nemini pandere voluit, doluisse dicitur, cujus tamen pœnitentiam tandem egit; Quale illud crimen fuerit conjecturâ non assequor, nisi quod quibusdam visum est, seriam de tot Concubinis pœnitentiam egisse. Dn. Frider. Besselius *in animadvers. ad Eginhart. d. l.*

POSITIO X.

Tempora in statu Conjugali quamvis sæpiusculè fiant turbida, sunt tamen toleranda, nec vinculum Matrimonii quicquam solvat, quàm Mors aut Causa sontica.

Quod Seneca de Sapiente *epistol.* 83. hoc de Conjugibus dicatur: Horum (scil.) Animos in perpetuo esse gaudio. FRIDERICUS V. Elector Palatinus & ELISABETHA Regia Princeps anno 1613 verba, quæ Sacerdos Sponsis prælegit, repetiêre: Ego N. Te Conjugem duco, quam ab hoc die & semper in adversa & secunda fortuna, in paupertate & abundantia, in bona & adversa valetudine, habiturus, amaturus & honoraturus sum, quousque Deus nos separaverit, idque propter

per divinam ordinationem, ad cujus rei majorem confirmationem fidem meo tibi obligo obstringoque. vid. Beschreibung der Vollbring. des Heuraths *Friderici V.* und Elisabeth *c. 9. p.* 47. Conjugis est Imbecillitatem alterius per multos annos ad mortem usque tolerasse & reticuisse. Memorabilem Historiam ex Petro Bemb. *libr. sing.* recenset Dn. Salmuth *in Respons. pro Matrimon. Princip. cum Virg. Nobil. de* ELISABETHA GONZAGA Mantuana Urbini Ducissâ; Daß ob wohl Ihr Herr und Gemahl / GVIDO UBALDUS, Hertzog zu Urbin, entweder von Natur oder durch Zauberey zu den Ehelichen Wercken untüchtig gewesen / Sie es doch also geheim gehalten habe / daß es kein Mensch habe erfahren können / und die Unterthanen / die gerne einen Erben von Ihr gehabt hätten / Ihr die Schuld der Unfruchtbarkeit gegeben. Und da nach Verfliessung zwey gantzer Jahr / der junge Hertzog seiner Gemahlin solche seine Unvermögenheit offenbahret / seine und Ihre Unglückseeligkeit beklagte / tröstet Ihn diese Löbliche junge Fürstin / und sagte mit frölichem Gemüth / Er solte dieses Unglück gedultig erleiden / und gedencken / es seyn vor Zeiten viel Könige gewesen / und seyn davon noch / die keine Kinder haben / weilen offt von frommen Eltern böse und gottlose Kinder gebohren werden. Was Sie anbelangete / sol Er sich nicht bekümmern / ihre Liebe solle deswegen gegen Ihn nicht gemindert werden: Wie Sie ihre Jungfrauschafft zu Ihm bracht / also wolte Sie dieselbe bis auf ihr Ende

auch behalten/und keinem Menschen/auch ihrer Amme/die Sache nicht offenbahren: haben also diese beyden Fürstliche Personen in Lieb und Einigkeit 14 Jahr dergestalt beysammen gewohnet. Und wehre auch die Sache nicht offenbahr worden / wenn nicht der Hertzog selbsten solche dem König in Franckreich offenbahret hätte/als Er zu Ihm umb Hülffe wider den Cæsarem Borgiam,der Ihn aus seinem Fürstenthum vertrieben/sich naher Mayland begeben hatte.

Adulterium dissolvit matrimonii vinculum. Sic AUGUSTUS Imper. cum SCRIBONIA divortium fecit, Sveton. *c.* 62. JULIUS CÆSAR cum POMPEJA adulterata à P.Clodio, quem, inter publicas ceremonias penetrasse ad eam veste muliebri constans fama erat, divortium fecit. Sveton. *c.* 3. Facilis aliàs Principibus ad divortium prætextus est. OCTAVIANUS CÆSAR COSSUTIAM ac POMPEJAM dimisit, alteram ambitione, alteram suspicione impulsus, quas suas carere oportere dictitabat, Amplissi. Dn.Christian Frideric. Franckenstein Professi. in Acad. Lipsiens. celeberrimus *in dissertat. ad Taciti lib.* 1. *Annal. c.* 3. *observat.* 1. *lit. G.* ALPHONSUS Castiliæ Rex Christianam filiam Regis Daniæ sibi desponsatam abdicavit, quam postea in Hispania Præsul Hispalensis & Abbas Vallisoleti & de caveis rubeis frater Alphonsi circa Annum 1260 duxit uxorem, Volaterran. *lib.* 2. *Geogr. p.* 21. Factum CAROLI VIII. Regis Galliæ, qui ANNAM, Francisci II. ultimi Britanniæ Regis filiam, Ditionum heredem, Sponsam Maximiliani precibus minisque ad suum thorum permoverat, repudiatâ MARGARETHA Maximiliani filiâ, valde improbatur. Sigism. à Birken *in Specul. Honor. glorios. Dom. Austriac. lib.* 5. *c.* 39. Comin. *comment. rer. gest. r.*

Ludo-

Ludovic. XI. & Carol. IIX. c. 4. Sterilitas (cùm vixisse videantur Conjuges, nec vivere, qui Liberos non habent, ut Alexander dixerit in solicitudine positus: Orbitas mea, quod sine liberis sum, spernitur. Curt. 6.9.) causa divortii non est. Est hoc, inquit Forstner. *ad Cornel. Tacit. lib.* 12. *cap.* 2. inter illa, quæ solis sibi licere putant Principes, instar privilegii; repudiare uxores, forma, pudicitia, obsequio probatas quidem, sed steriles. Vitium autem illud sanari potest. ABRAHAM centenarius Genes. *c.* 17. & 21. ISAAC Sexagenarius Liberos procreavit. Genes. 25. *vers.* 26. LUDOVICUS XIII. Galliæ Rex anno matrimonii demum vicesimo secundo LUDOVICO XIV. hodierno Galliarum Rege filio auctus est, ex Piasecc. *Chronic. p.* 515. D. Ernest. Gockel. d. Regib. Europæ. *cap.* 2. §. 53.

CAPUT QUARTUM
DE
MATRIMONIO SUBDITORUM.

POSITIO I.

Magistratui cura Nuptiarum, ut Cives justas contrahant, per quas Immortalitas inducitur, maximè incumbit.

Besold *d. trib. Societat. cap.* 1. Wo ein König viel Volck hat/ da ist seine Herrlichkeit/ wo aber wenig Volck ist/ das macht einen Herren blöde/ Salom. *proverb.* 14. *vers.* 25. Veteres Romanos nulla de re magis sollicitos fuisse, quàm de Conjugio & Militia, ex Aventin. 4. *part. d. Reb. Turcic.* refert Arnisæus *d. Jur. Connubior. cap.* 1. *Sect.* 2. *num.* 1. Atque ad Politicum, quâ talem, hæc cura inprimis spectat, cum ipsi de iis agendum sit, quæ ad constitutionem & salutem Civitatis spectant; Domus

Fœmina nulla bona est: & si bona contigit ulla,
Nescio quo fatô res mala facta bona est.

De quæstione, Num Conjugium sit ineundum? vide Heider. *polit. p.* 47. Arnis. *polit. lib.* 1. *cap.* 3. *d. jur. connub. cap.* 1. Joh. Gerhard *d. conjug.* §. 13. Improbanda est derivatio, quâ uxor, per resolutionem X. in simplices C. S. UCSOR quasi ORCUS per annagramma appellatur;

Quisquis in Uxorem cecidit, descendit in Orcum,
Causam ne quæras, UCSOR & ORCUS idem.

Cui potius per prosopoeiam Uxoris eâdem resolutione ucsor quasi CURSO opponendum est:

Nuncupor UCSOR ego, non sim quasi Conjugis orcus,
Sed quia per totam sedula CURSO domum.

D. Joh. Strauch. *in dissert. d. jur. maritor. in uxorem Sect.* 2. §. 1.

POSITIO II.

Corpora, quæ procreantur, sint ad voluntatem Legislatoris.

Aristotel. 7. *polit.* 16. hoc est, circa Matrimonium in Republ. ferantur leges; observetur τὸ βρέπειν. Gentilium laudanda est matrimonii reverentia; Quæ pudorem debet incutere multis inter Christianos, qui canina ineuntes conjugia, non ministri cœlestis benedictione, sed carnis prurientis & singultientis copulatione, ea ordiuntur, Dilherr *in Myrt. Vener. seu de Antiqv. Nuptiar. Ritu* §. *ult.* Clandestinum Matrimonium, quod clam remotis arbitris nullisq; testibus adhibitis contrahitur, improbant Legislatores *c. aliter* 30. *c. cùm nullus seq.* 30. *q.* 5. Nec volunt properatam esse Venerem, cùm effœtum efficiat Senem, Cic. *de Senectut.* Pontifices quidem pubertatem non ex annis, sed ex corporis habitu generandique potestate æstimant *Cap. puberes & cap. d. illis X. de desponsation. Impuber.* Quoniam compertum fuit, non solùm Fæminam

ante annum 12. peperisse, sed etiam Masculos ante annum 14. liberos genuisse. Sic SALOMONEM Regem *anno* 10. vel 11. procreasse EZECHIAM, & Puerum quendam 10. annorum Nutricem suam gravidam reddidisse, testatur Hieronym. *in Epistol.* ad Vitalem. Disvadendum autem est nimis maturum conjugium; Neque enim tam quoad ipsam conjunctionem Corporum matura sit ætas, verùm etiam quoad desponsationes, ne nimis citò atque imprudenter tam grande negotium, ex quo cujusvis hominis salus dependet, cæco tractetur impetu.

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ habent parvæ commoda magna moræ.

Ovid. Et quamvis mora omnis odio sit, facit tamen Sapientiam. Seneca. Videmus sæpè in Scholis inferioribus Adolescentes & amare & quærere Conversationes Virginellarum, imò ipsas sibi despondere; quid, quæso, aliud faciunt, quàm quod cogitationes studiis impendendas subtrahant, ac intempestivè ludicris impendant, nedum parentibus, si quos adhuc superstites habent, ægrè faciant, sine præscitu Eorum tale quid agentes, ac tandem, cùm in tempore Matrimonium gradus ad dignitatem esse possit, saluti suæ ipsosmet defuisse magno cum detrimento deprehendãt. Honestius est cùm judicaveris, amare; quàm cùm amaveris, judicare. Senec. Porrò nec Matrimoniũ Senis cum juvencula svadendũ. Talia enim conjugia vel maximè infelicia sunt, Jun. *part. 2. quæst. polit.* 29 Senes, dum juvenculas ducunt, in vivum sepulchrum properare, & equã quærere, quâ vehantur ad Cælos, vulgò dicitur, Arnisæ. *de Conjug. c. 2. V.* 16. HENRICUS IV. Rex Galliæ de Nuptiis cujusdam Senis scitè pronunciavit: Puella ducta à Sene potest tutò feretrum deferre secum pro tumulando Marito. Arnisæ. *Ibid.*

Mili

Militat in teneris annis Amor Hospes amanus,
Ast in canitie ridiculosa Venus.

Ideo Censuræ Romanæ Inquisitio in hanc rem diligens erat Gellius *lib 4. Noct. Attic. c.* 10. vide elegantem epistolam Manutii *lib.* 8. *epistol.* 3. An Seni iterandæ sint nuptiæ; ubi negativa ferè concluditur sententia. Equidem JULIUS CÆSAR SCALIGER jam Senex Uxorem duxisse fertur puellam 13. annorum, ex qua miraculum illud literarum JOSEPHUM suscepit. Ast una hirundo non facit Ver. Dn. Felvvinger. *de matrimon. thes.* 42. Laudantur ergò mediæ ætatis homines. De GERMANIS, quod proceritate alias Gentes superent, Corn. Tacit. *in lib. de Morib. German. c.* 20. ait: Sera juvenum Venus, eòque inexhausta pubertas, nec Virgines festinantur. Eadem juventa, similis proceritas. Pares validæque miscentur, ac robora parentum liberi referunt.

POSITIO III.

Etiam in Privatorum matrimoniis cujusvis Ratio Status ponderanda est.

Sapienter ait Paul. Cypræus: Anceps in Connubio via est, quarum altera ad miseriam ducit, altera ad felicitatem; itaque priusquam te in viam des; non minus sollicitè deliberandum est, quàm Herculem in bivio constitutum fecisse legimus. Si enim semel in connubio malè ceciderit alea, non est quod arte corrigas, est enim ex iis, in quibus (quod dici solet) non est bis peccare. Inprimis respiciatur ÆQUALITAS. Ovid

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno Conjuge nupta Minor.

Experientia testatur, inæqualia matrimonia fortunis contrahentium valdè obesse. Ecquis enim nescit Mercatorem vel Opificem, Viri literati Filiam si duxerit, plerumque re-

bus

bus suis malè consulere, quoniam hæc magis Morum elegantiæ adsveta, ignaraque artium illiberalium Mariti quæstum negligit, ut inde incommodum magis quàm emolumentum sentiat. Literati quoque magis aurum spectantes, quàm Mores genusque Conjugis, nullum onus sentiunt gravius, Tiraquell. *de retract. Convention. ad fin. tit. num.* 70. Et perniciosè peccant qui dotem, non Uxorem quærunt. Gail. *lib.* 2. *observat.* 95. *num.* 21.

POSITIO IV.

Neque scandalosa Matrimonia, vel quicquam, quod impietatem habet, circa ea permittatur.

Absurdum est, ait Aristotel. 2. *Polit. c.* 4. nihil referre coitionem, quia Pater sit, aut Filius aut Fratres. Incestuosi ergò concubitus ne approbentur, neque per dispensationem tolerentur. ALEXANDER M. Persas docuit, Matres revereri earumque nuptiis abstinere. Talis prohibitio jüri naturæ inest: Ita Ovid. *lib.* 10 *Metamorph.*

Ultra autem sperare aliquid potes Impia Virgo?
Nec quod confundas & jura, & nomina sentis;
Tunc eris & Matris pellex, & Adultera Patris;
Tunc Soror nati, generisque vocabere fratris;
Nec metues sacro crinitas angue Sorores;
Qvas facibus sævis oculos atque ora petentes
Noxia corda vident? at tu dum corpore non es
Passa nefas, animo ne concipe: neve potentis
Concubitu vetito naturæ pollue fædus.

Brutá incestus vitare dicuntur, prout docet Arist. *lib.* 9. *Histor. animal. cap.* 47. Plin. *lib.* 17. *cap.* 42. Et Conscientia facinora prodit. BIBLIS MILETI filia, postquam cum CAUNO Fratre incestum commisisset, se, balteo ad collum liga-

ga-

gato, suspendit. SECUNDUS Philosophus, cùm Matri nescienti esse Filium, se commiscuisset, & illa, facto cognito, sceleris horrore sibi mortem consciviffet, ipse quoque incestus pœnitentiâ in æternum tacuit. Zwinger. *theatr. Vit. human. Vol.* 18. *l.* 5. *fol.* 3408. & *Vol.* 16. *l.* 5. *fol.* 3091. Notabile est Exemplum, quod ex B. Luthero *in comment. super Genes. c.* 36. refert Dn. *Felwinger. Dissert. de Matrimon. th.* 50. verbis:
„Erat Erphordiæ puella quædam ex honesta familia & pudica, quæ cuidam servivit diviti Mulieri Viduæ. Ejus filius Adolescens captus forma & amore puellæ, sollicitavit eam ad concubitum, indignum facinus aversans puella (ut honestam decet) aliquoties à se repulit Adolescentem furiosum. Denique cum quotidie magis magisque instaret, & in suo illicito instituto perseveraret, puella rei indignitate impulsa, ut famæ consuleret, suamque pudicitiam à summa Infamia vindicaret, Matri rem ordine narrat, monetque, ut filio sibi insidias struenti, frenum injiceret. Mater re deliberatâ, init rationem cum puella, jubetque in amorem Filii consentire, & certam horam, quâ convenire, & rem perficere tutissimum videretur, constituere: Se enim eo ipso tempore constituto, ejus occupaturam lectum, & hac occasione filium tam indigna conantem repressuram. Consilium probat puella, init pactum. Mater, quæ antea Filii furores hac parte cohibere ac frenare constituerat, victa libidine & instinctu Diaboli filio prostituit corpus. Nascitur ex indigno & incestuoso concubitu puella, quam expositam & ab aliis educatam Mater tandem ad se recepit, mota affectu materno. Idem Filius harum rerum omnium ignarus, & hanc amare cœpit, sibique Uxorem dari postulat. Mater in summis angustiis constituta dehortatur Filium, & reluctatur, quantum potest, cupiditati illicitæ. Ille invita & repugnante Matre dat fidem puellæ, ducitque

„ eam in Uxorem, (nam eo tempore usitata & rata erant
„ clandestina sponsalia) post nuptias Mater dubia & despe-
„ rabunda sibimetipsi vult manus inferre violentas. Angi-
„ tur enim de Incestu, qui fieret inter Conjuges singulis no-
„ ctibus, nec poterat Conjugium dirimere. Cùm autem sola
„ conscia esset, nec sola posset sustinere amplius dolorem &
„ angustiam animi, accedit Confessorem, negotium exponit,
„ & petit ab eo consilium & Consolationem. Ille incertus
„ & attonitus atrocitate rei, non habet, quod consulat. Itaque
„ JCTIS idem Casus affertur. Hi quoque de jure ambi-
„ gunt, ut in casu inusitato, & censent committendum divinæ
„ bonitati. Verùm id satis non erat, nec tum liberata
„ conscientia à dubitatione & desperatione. Tandem ad Theo-
„ logorum Collegium res defertur; Hi optimam sententiam
„ tulerunt. Primo quærebant, an sciret Filius, conjugem su-
„ am esse Matris filiam, conceptam ex suo sanguine; Mater
„ negavit eum id scire. Solus Deus, inquit, & ego conscia
„ sum. Deinde interrogabant, an esset bonum conjugium,
„ & quomodo inter eos conveniret? Optimè, inquit. De-
„ creverunt ergò, afflictæ Matris Conscientiæ absolutione
„ consulendum esse. Filio autem, Matrimonium jamdiu
„ sponsalibus ac solennitatibus nuptiarum copula carnali
„ confirmatum concedendum; Matrem enim esse unicam
„ personam, quæ non posset probare rem, & secutura in-
„ gentia mala distractionem Conjugum. Hactenus ille.
Inter ritus improbos referendum est, quod CANONICI COMITESque LUGDUNENSES ex pacto quodam licentiam habuerint, in recognitionem feudorum prima nocte concumbere cum Vasallorum sponsis. Speidel. *Notabil. Jurid. Histor. polit.* Verbo Lehendienst. Apud NASOMENOS & AUGYLAS, Lybiæ populos, moris improbi erat, cum quis primùm Uxorem duxisset, ut Sponsa primâ nocte

cum

cum singulis convivis coiret, Veneris gratia, post perpetuò castitatem servaret. Polydor. Virgil. *lib.* 1. *c.* 4.

POSITIO V.

Conjugia Liberorum non sunt absolutè libera.

Reverentia parentibus debita exigit consensum Eorum, in quorum potestate sunt. Optimè Arist. 1 *Oecon. c. 6.* Prudenter, qui parentibus honor debeatur, constituendum est: ut tribuendo suum cuique, justitiæ & pietatis laus obtineatur. THAMAR filia DAVIDIS dispositionem de conjugio suo ad parentis arbitrium remisit. 2. *Samuel.* 13. *v.* 3. ACHILLES apud Homerum non vult sine patris sui consensu nec Regis quidem filiam in matrimonium ducere. GRÆCI & ROMANI nuptias absque parentum consensu contractas, Nefastas pronunciarunt. Coras. *lib.* 7. *Miscell. c.* 29 HERMIONIS MENELAI ex HELENA filiæ, ab ORESTE in Uxorem petitæ responsum ex Andromach. Euripid. adducit Arnisæ. *d. jure Connub. cap.* 3. *Sect.* 10. *n.* 10. Nuptiarum scilicet suarum curam patrem suum habiturum. HENRICUS II. Rex Galliæ in Liberos, ob non requisitum parentum consensum, pœnam exheredationis statuit, Robert. *rer. judicat. p.* 2. *c.* 9. Arcanum jus est, Subditorum inque iis Procerum Conjugia suffragio Principis indigere, neque aliter constare, nisi Illius accedat auctoritas. Multis in locis Reges & Principes conjugiorum, quæ inter Proceres celebrantur, non sine summa ratione sunt Arbitri, ut & Suæ, & Patriæ, quam defendendam susceperunt, securitati consulant, Zevecot. *Observat. polit. Sueton. c.* 1. ROMANUS non nisi Romanam ducere poterat, Seneca. *lib.* 4. *d. benefic.* Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti; non est mihi cum Extraneo commercium. Rogatione tamen aliis populis jus

illud impertiebatur, vid. Sigon. *lib.1 d. antiq. jur. Civil. Roman. c.* 9. In Gallia Comiti de S. PAULI crimini datum fuit, quod ſine conſenſu Regis CAROLI V. filiam Angliæ Regi deſpondiſſet, Arod. *lib.* 4. *judicat. tit. de Nuptiis c.* 7. In Anglia Eliſabetha Regina LENOXIUM Comitem cum Filio, qui paulò ante Scotiæ Reginam Uxorem duxerat, ad ſe redire juſſit, & cum juſſa recuſaret, Eosdem regno proſcripſit, quia contra morem Majorum Angliæ finibus injuſſi exceſſerant, ac connubium Regina vetante contraxerant, Bodin. *de Republ. c.* 6. *num.* 65.

POSITIO VI.

Ne permittatur pluralitas Uxorum ſeu Polygamia.

Sicuti cædem naturaliter abhorremus, ità confuſionem quoque & multitudinem Mulierum innato quodam odio deteſtamur, Bonaventur. 4. *Sentent. diſt.* 33. *quæſt.* 1. Quoniam domus gubernatio non parum impeditur; Ut inde PERSARUM morem improbet Marcellin. *lib.* 23. quod charitas per diverſas libidines diſperſa torpeſceret. Equidem EVENAS III. Rex Scotorum, cum ipſe centum duxiſſet, permiſit Subditis polygamiam, Buchananus *lib.* 4. *Hiſtor.* Aſt hodie in polygamiam pœnis commeritis animadvertitur; HISPANI ſtigma fronti; & quidem literam *Q.* imprimunt polygamis. Covarruv. *part.* 1. *d. Matrimon. c.* 7 §. 3. *num. ult.* CAROLUS V. Germanorum Imper. polygamos capitali pœna affici ſtatuit. *Ordinat. Carolin. artic.* 121.

POSITIO VII.

Subjecta ſit Mulier Marito, ejusque mores toleret.

In-

Inferior Matrona suo sit, Prisce, Marito,
Non aliter fiunt Fœmina Virque pares.

Martial. Debet Uxor Maritū singulari honore prosequi, neq; ulla ratione eum despicere, Keckermann. *in synops. prudent. Oeconomic. p.m.* 626. Voluntates Viri sint quasi Lex non Scripta mulierum, Amplissim. Dn. M. Joh. Weisius Prof Giessensis famigerat. *in exercit. polit. 2. thes.* 25. Uxoris est Mariti ingenium in universum sequi; Mariti verò Uxoris ingenium in nonnullis tolerare. Anton. de Gvevar. *Horolog. princip. lib.* 2. *cap.* 5.

Modestè viro obviam eat, dicendo: Domine adsum?
Impera quidvis, neque tibi ero in mora neque latebrosè abs tuo
Conspectu occultabo. Plaut. in trinum.

Quod si Uxor dominetur, & Maritus vincatur, judicio Augustini *in Psal.* 143. Pax perversa est: Sin autem Marito dominanti Uxor subjiciatur, Pax Recta. Oportet Maritum regimen habere domesticum, quod ita gerat, ne mariti nomen exuat, Maritelli verò induat; Neq; tamen semper, ut Michael Haveman *lib.* 3. *d. jure connubior. tit.* 8. loquitur Maritus omnia verba sesamo, papavere ac violis vestire, sed obloquentem mulierem increpare, imo increpidare ei fas est. Idem *d. l. lib.* 4. *tit.* 4. *posit.* 6.

Ille Viri non est generoso nomine dignus,
Qui Dominā patitur se mulierе regi.

Prudenter D. Schuppius im Regenten Spiegel *c.* 11. *p.* 123. optat. daß in manchem Lande des Ahasveri königlich ausschreiben renoviret würde/ der gebote/ das ein jeglicher Mañ der Oberherr in seinem Hause wäre D. Ioh. Strauch. *d. jur. Maritor. in Uxor. sect.* 1. §. 2. Dicitur quidem in jure Civili Uxor aliquando Domina, uti *in l. Titia.* §. *qui Marco ff. de ann. leg.* Ast Dominatum istum ultra colum, pensum & fusum non extendi, notat Andreas Gail. *lib.* 2. *obser.* 144 *n.* 3.

Periculosum est frena gubernationis committere Mulieribus. FREDEGONDIS CHILPERICI Regis Francorum Uxor, seu ut alii volunt, concubina, postquam Marito sceptrum è manibus excusserat, & pro libidine quidvis agere ceperat, per subornatos Sicarios SIGEBERTUM Mariti Fratrem, Regem Austrasiæ, & *Mediomatricum*, è medio sustulit, *prætextatum Archiepiscopum Rothognanensem* in exilium pepulit, revocatumque interfecit, tandemque, ne adulteria ipsius Marito detegerentur, ubi *Landricum* adulterum familiarius cum ea jocantem vidisset, ad ejus necem injecto timore, *Landricum* adegit, referente Arnisæ. *c. 2. d. Divis. Regn.*

POSITIO VIII.

Extra matrimonium Subditis ne concedatur vagus concubitus; Spurii tamen, præcellentibus dotibus insigniti, sunt tolerandi, neque à dignitatibus in Republ. simpliciter excludendi.

Illegitimos arceri volunt à Nobilitate, Perez *ad lib. 12. C. d. Dignit.* cum nobilitas sit dignitas, Tiraqvell. *d. Nobilitat. c. 6. n. 3.* Cujus incapaces sunt Spurii, Bald. *ad l. ult. C. d. natur. liber.* proinde Jason præcellens JCTUS ob illegitimos natales petiturus Dignitatem Doctoralem passus est repulsam Mancinel. *d. Dignitat. c. 5. n. 125.* ut Francisc. Vivius *lib. 1. dec. 162. n. 10.* existimaverit, Spurium non magis fieri Doctorem, quàm Asinum hominem posse. In BERNENSIUM Republ. Spurii aut aliquâ infamiæ notâ insignes Senatu arcentur. Simlerus *d. Rep. Helvet. lib. 1. p. 368.* Verùm ut ait Euripid. *in Andromach.*

—— Sæpe numero certè
Atrida profundam terram vincit satio.
Spurius multis legitimis melior.

Et

Et naturæ potius cuidam inclementiæ id aſcribendum, quæ tales eos produxit, ſicut & fœminarum deterior conditio, quàm Maſculorum. Palæot *d. Spur. cap.*55. Neque Virtutes, neque vitia parentum liberis imputantur, inquit Hieronymus *epiſt.* 3. *d. morte Nepotiani.* Sanè Mulieres illegitimos filios ſæpè procreant nobilioris ac præſtantioris ingenii & formæ elegantioris Cardan. *lib.* 4. *d. Utilit. ex advers. capiend.* & Auguſtin. *lib. d. bono Conjugio c.* 16. Undecunque homines naſcantur, ſi parentum vitia non ſectentur, & Deum rectè colant, honeſti & ſalvi erunt. Semen enim hominis ex qualicunque homine, Dei creatura eſt, & eo malè utentibus malè erit, non ipſum aliquando malum erit. SALOMONI obſervante Menoch. *de Republ. Hebr. c.*22. *p.* 376. nunquam objectum eſt, quod Spurius eſſet, ne ab Adonia quidem, qui ſolum ex eo, quod major natu eſſet, ſibi regnum vendicabat 3. *Reg.* 2. non autem ex eo, quod Salomon, ut ex illegitimo natus matrimonio regni capax non eſſet. Danhauer. *part.* 2. *Spec. Theol. Symbul. quæſt.* 32. *Dial.* 3. *Sect.* 3. *pag. mih.* 822. JEPHTE inter Sanctos numeratus Meretricis fuit filius, *Judic. cap.* 11. Exemplorum inſuper illegitimorum, qui tamen Magni Viri evaſerunt, abunde eſt. Sic HERCULES fuit Spurius. Patrem Ipſius Poetæ dixerunt Jovem; Indubiè, judicio Dn. Ruperti *in animadverſ. in Florum lib.*1. *c.* §. 1. fuit magnus aliquis Moechus. ROMULUS & REMUS Conditores Urbis Gentisque Romanæ fuere Spurii, Flor. *d. l.* Unde Auſonius:

Matrem Remumque & Conditorem Romulum
    Primos parentes nuncupat.
Credo quod illi nec pater certus fuit,
    Et mater eſt verè lupa.

ALEXANDER M. Spurius fuit, prout Plutarch. *in ejus vita* & Soling. *c.* 15. tradunt. JCtorum Anteſignanus BARTOLUS & Doctiſſimus ERASMUS ROTERODAMUS

MUS fuerunt Nothi, unde hic dictus Desiderius. Reinking. in der Biblischen Polizey. Ordnung *lib. 3. axiom.* 33. ALBANUS Martyr ex incestu patris cum filia natus dicitur *c. cenomanensem in fin. dist.* 56. CLAUDIUM SESELLIUM Archi Episcopum Taurinensem, Virum in politicis & jure Canonico celebrem, Spurium dicit Mannimel. *c. 7. d. dignitat.* GEORGIUS Imperatoris MAXIMILIANI I. filius naturalis anno 1544. Brixensis & Leodensis Episcopus fuit. Henninges *in Archi-Duc: Austr. part. 2. pag. m.* 275. JOHANNES Austriacus, CAROL. V. Imperat. Vidui ex BARBARA BLOMBERGA Ratisbonensi filius Naturalis Illustrissimus simul Heros extitit, Famian. Strada *d. bell. bellig. lib.* 10. *pag.* 613. Plures Domi Militiæque Clarissimos incerto patre natos lege apud Tiraquell. *de Nobilitate c. 5. n.* 31. Palæott. *in tract. Sing. de Spuriis.* Concludendum ergò est cum Keckermanno *Systhem. polit. lib. 1. c. 8. thes. 6.* spurios tum esse admittendos ad locum & dignitatem aliquam in Republ. cùm ob singularem ingenii eminentiam & virtutem publica autoritate Magistratus *legitimantur* add. Cardan. *de utilit. ex adversit. capiend. tit. d. Adult. Uxor.* Heider. *polit. cap. 6.* Petræus *part. gener. enchiridii politic. c. 3. aph.* 13.

POSITIO IX.

Civiliter tractet Maritus Uxorem.

Ovven. *epigramm. lib. 1. epigr.* 70. ad fragilitatem sexûs alludens ingeniosè canit:

> Dicta fuit mulier quasi mollior: Est tamen Eva
> Non de carne sui sumpta, sed osse viri.

Proinde Maritus in manu ac tutela, non in servitio debet habere Uxorem, Liv. *lib.* 32. juxta Poetam:

> Offendit cœlum, sanctumque is solvit amorem,
> Uxorem sævâ qui ferit usque manu.

Dicte-

Dicterium BERNHARDI SYLVESTRI comprobatur, dicentis: Malam Uxorem risu potius, quàm baculo emendabis. Virorumque; dicta factaque sint Uxoribus speculum, ad cujus intuitum suos ipsæ mores forment ac componant, Tiraquell. *d. legib. connubial. gloss.* 9. *n.*230. Rectè Comicus *in Adelph. act.* 1. *scen.* 1. ait:

Et errat longè, meâ quidem sententiâ,
Qui Imperium credat gravius esse, aut stabilius
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitiâ adjungitur.
Mea sic est ratio, & sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet.
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet par referre: præsens absensque idem erit.
Hoc viri (patrum) est, potius uxorem consvefacere (filium)
Suâ sponte rectè facere, quàm alieno metu.
Hoc Maritus (pater) ac Dominus interest. Hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare mulieribus. (liberis)

Cedro dignæ sunt leges, quibus observatis pacificè Mariti cum suis vivant Uxoribus, ab Anton. d. Gvevar. *Horolog. Princip. lib.* 2. *cap.* 21. notatæ; quas, cùm liber iste non omnium teratur manibus, heic posuisse juvat. Est igitur lex *I. Uxorem stomachantem (& iracundam) placidè Maritus & æqua mente toleraro. Nullus enim in terris serpens adeo venenatus est, uti fæmina ad iram commota. II. Operâ Maritus dato, ut, quantum omnino fieri potest, de omnibus Uxori prospiciat, quæ tum ipsius, tum domus necessitas postulat. Sæpe enim accidit, ut res necessarias investigaturæ fæminæ, in supervacaneas & parum honestas impingant. III. Ut cum hominibus bonis Uxor fami-*

liariter conversentur, Maritus curato. Sapè enim indignantur & vociferantur Fœminæ, non tam à Viris provocatæ, quàm vicinarum improborum calumniis & injuriis irritatæ. IV. Ut nulla in re modum excedat Uxor, Mariti cautio esto: ut scilicet neque perpetuò domi clausa sedeat, neque levissima quaque occasione domo abesse sinatur. Nam Uxor ambulatrix & famam suam periculo, & rem familiarem (mariti) damno exponit. V. Ne in certamen cum Uxore descendat, Maritus caveto, ne scil. verecundiam (erga ipsum) illa abjiciat. Quæ enim semel verecundiæ erga Maritum fines transiit Uxor, bene & naviter impudens esse consuescit. VI. Talem sese Maritus præbeto, ut Uxori fidem apud se esse ostendat. Tali quippe est ingenio fœmina, ut, quod neutiquam facturam credidisses, tanto faciat promptius, ut quod fieri ab ea nolles, faciat citius; quod fieri velles, omittat. VII. Maritus prospicito, ut rei familiaris curam neque totam fidei credat, neque Uxoris potestati penitus adimat. Si enim res familiaris omnis Uxoris curæ committitur; parum augetur: Si ab ea penitus excluditur, & suspecta habetur (Uxor) multa furto subducit. IIX. Vultum Uxori Maritus modò hilarem, modò tristem ostendito. Eo quippe sunt ingenio fœminæ, ut Viros hilaritatem vultu præ se ferentes ament, tristitiam ostendentes metuant. IX. Diligentissimè caveto Maritus, si prudens est, ne cum vicinis aut alienis jurgia litesque moveat Uxor. Sæpe enim Romæ evenire vidimus, ut ob unicam Uxoris cum vicina contentionem & vitam Maritus, & fortunas Uxor amiserit, & ingens in civitate perturbatio fuerit orta. X. Eam prædito Maritus tolerantiam, ut si Uxorem videat delinquere, non alibi, quàm privatim illam corripiat. Nihil enim aliud Uxorem coram Arbitris castigans Maritus facit, quàm quòd in cœlum expuens, oculis sputa rursus excipiat. XI. Sibi temperato Maritus, ne castigandi gratia manus Uxori afferat. Quæ enim verbis asperioribus & amaris non emendantur, illæ ne fustibus quidem aut pugnis eæ corrigentur. XII. Qui pacificè cum Uxore cupit vivere Maritus, plurimum apud vicinos & alienos eam laudato (& prædicato) præter cætera enim hoc boni Mulieres habent,

habent, ut ab omnibus laudari velint, & à nemine culpari se (corrigique) patiantur. XIII. Caveto Maritus, ne audiente Uxore sua fœminam laudet alienam. Ita enim comparatum est fœminarum ingenium, ut quo die fœminam vir in ore alienam habet, eô de corde illum suo Conjux, aliam ab illo amari, se verò contemni, judicans, avellat. XIV. Ante omnia monitus esto Maritus, ut, quamvis deformis sit Uxor, formosissimam illam & dicat & ipsi persuadeat: Nihil enim majores inter Conjuges turbas ciet, quàm si ob deformitatem Uxor à viro se cogitet repudiari. XV. In memoriam subinde Maritus Uxori revocato infamiam, & sinistros de Improbis in civitate sermones, Fœminæ enim ut sunt avidæ gloriæ, ne de se dicatur, quod de aliis dicitur, fortè non facient, quod aliæ faciunt. XVI. Ne plurium colat (Uxor) amicitias, (Maritus) prospicito. Sæpè enim Uxoribus amicitias contrahentibus vetitas, gravissimæ inter conjuges oriuntur contentiones. XVII. Cuicunque Uxor malè vult, eidem malè se velle Maritus simulato, & fidem illi facito. Ita enim est ingenium Mulierum, ut si, quod ipsæ oderunt, Maritus amet, quicquid ille amat, mox oderint (& aversentur) XIIX. In rebus parvi momenti Uxori Maritus vehementius contendenti cedito & annuito. Magis enim victoriam vel in mendacio adepta Mulier quàm decies mille sestertiûm censu aucta lætatur. addantur ibi *notæ* Joh. Wanckelii.

POSITIO X.

Secundæ ſeu iteratæ nuptiæ utriusque generis ſunt licitæ.

Scilicet tam iſtæ, quas quandoque Quinquagenarii Conjuges raro exemplo reiterant, quàm quæ poſt mortem alterius conjugis contrahuntur. Prioris generis exempla non deſunt. Sic GEORGIUS à PFLAUMERN

cum Conjuge, quam superiori seculo in Aula Austriaca duxerat ante annos quinquaginta, jussus est ab Archiduce festivitates matrimoniales repetere. NICOL. VAHRENBULER Consiliarius Wurtembergicus Studgardiæ cum Uxore REGINA Waltheria *anno* 1597. Illustr. HENRICUS à FRISEN Cancellar. Elector. Saxon. *anno* 1651. *d.* 15. Martii Dresdæ secundas solenniter celebrarunt nuptias, referente D. Dittherr *ad Besold. Thesaurum pract. Voce* Ehe: *Et anno* 1643. Erfurti HENRICUS BRAND, Consul ibidem nuptias cum Uxore BARBARA RICHTHAUSERIA, quam quinquaginta annos in matrimonio habuerat, reiteravit. Eas autem, quæ post fata conjugis contrahuntur, nuptias quod attinet, de illis Epiphanius *hær.* 48. ait: Ecclesia Virginitati congaudet, Unas Nuptias honorat; sed si quis per debilitatem opus habuerit post prioris Uxoris obitum SECUNDAS Nuptias contrahere, hunc veritatis Regula non interdicit. Ut errent Montanistæ, & cum illis Tertullianus, ut & Leo Imper. Novell. 9. qui reiterationem nuptiarum improbant, vid. Besold. *lib.* 1. *polit. cap.* 11. §. 5. Neq; laudanda adeo est *Porcia*, Romana mulier, Catonis filia, quæ felicem & pudicam dicebat mulierem non nubere, nisi semel. de qua Martialis:

Conjugis audisset fatum cùm Portia Bruti,
Et subducta sibi quæreret arma dolor.
Nondum scitis, *ait*, mortem non posse negari,
Credideram satis, hoc vos docuisse patrem.
Dixit: & ardentes avido bibit ore favillas.
I tunc, & ferrum turba molesta nega.

Est sanè notabile exemplum polygamiæ successivæ, quod in ipsa Roma sibi visum recenset Hieronymus *in Epist. ad Geront.* Rem, ait, dicturus sum incredibilem, sed multorum testimoniis approbatam. Ante annos plurimos, cum in char-

tis

tis Ecclesiasticis juvarem Domasum Roman. Episcopum & Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem, vidi duo inter se paria vilissimorum e plebe hominum comparata, Unum, qui UXORES VIGINTI sepelisset, alteram, quæ MARITUM VIGESIMUM SECUNDUM habuisset, extremo sibi ut putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio Virorum pariter ac fæminarum, post tantas rudes uter alterum prius efferret. Vicit Maritus, & totius Urbis populo confluente coronatus & palmam tenens & adoream, per singulos sibi acclamantes Uxoris multinubæ feretrum præcedebat. Infinita autem sunt in secundis Nuptiis incommoda, quæ Hieronimus exprimit; Si evenerit, inquit, ut ex secundo Marito habeas filios domesticos, oritur pugna, intestinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis quos antea genuisti. Clam porriges cibos, invidebis mortuo. Et nisi oderis filios, adhuc eorum videberis amare patrem. Quod si Vir de priore Uxore Sobolem habens, domum te introduxerit, etiam si clementissima fueris, omnes Comœdi & mimographi in Novercam sævissimam declamabunt. Si privignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis, ut venefica. Si non dederis cibos, crudelis: Si dederis, Malefica diceris. Hæc omnia tamen incommoda donum Continentiæ non habenti, æquo sunt ferenda animo. Omnium pessimum est, quod mutato concubitu Parenrentes plerumque à liberis primi matrimonii depraventur, prout loquitur Ambrosius 6. *Hexametr.* & ex mente *Euripidis*: Cui non est satis unum novisse cubile, is omnem erga liberos deponit affectum. D. Hulder. Eybenius *d. tutel. fem. p.* 39. add. Thessaur. *dec. pedemont.* 170. *n.* 5. *vers. quarto facit.*

CAPUT QUINTUM *DE* RELIGIONE.

POSITIO I.

Reipublicæ felicitas pendet à Religione.

Hæc enim coagulum eſt omnis Societatis,imò totius Reipublicæ fulcrum, Lactant. *l.* 5. *Inſtit. divin.* vinculum ac anima,ad quam conſervandam omni debet Princeps incumbere ſtudio.Saavedra *Symbol. polit.* 24. *&* 60. quod in navis & ædium fabricatione carina & *βάσις*, id in Republica eſt Religio.Imhoff. Ut CHRISTIANUS IV. Daniæ Rex pro Symbolo habuerit: *Pietas Regna firmat.* Tota vita noſtra Religione conſtat. Plin. 4. *cap.* 18. Nec unquam Reſpublica ſtetit ſine aliqua Religionis ſpecie. Ariſt. 7. *polit. cap.* 8. Caſelius *cap.* 13. *propolit.* Neque profectò ulla civitas,vel ad breve tempus absque hoc vinculo ſibi conſtiterit,in quam ſententiam omnes omninò gentes hactenus conſenſerunt, experimentis certis inductæ. D. Conring *lib. de civil. prudent. c.* 2. Lipſius *in lib. adverſ. Dialogiſt. in c.* 2. *l.* 4. *polit.* Et Plutarchus libro adverſus Colotem, Xylandro interprete: Si terras obeas, invenire poſſis urbes muris, literis, Regibus, domibus, opibus, nomismate carentes, gymnaſiorum & theatrorum neſcias: urbem templis Diisque carentem, quæ precibus,jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum cauſa ſacrificet, non mala ſacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius Orbem condi ſine Sole puto, quàm Opinione de Diis penitus ſublatâ civitatem coire aut conſtare. Ut præclarè Bodin. *lib.* 5. *de Republ. cap.* 5. dixerit: Si homines nec vi armorum, nec facultate dicendi duci velint, ipſos Religio-

nis

nis studio & Numinis metu cogendos esse.] Multitudo quippe alioquin impotens sæva mutabilis, ubi semel Religione coacta est, melius Vatibus, quàm Ducibus paret, Curt. *lib.* 4. *Histor.* Est enim ad alliciendas mentes hominum ingens Sanctitatis potentia, cujus pulchritudo animos circumfundit, & delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui rapit. Senec. *lib.* 4. *d. benef. c.* 22. Imperator THEODOSIUS moriens, Filiis suis nihil aliud mandavit, quàm ut veram pietatem integram servarent, per quam eos, asseveravit, pacem habituros, & bella sopituros, & victoriam à Deo consecuturos esse, Nicephor. *lib. II. Histor. cap.* 1. Sermo autem hic non est, Vera sit Religio, num Falsa? Siquidem nulla res efficatius regit multitudinem, quàm superstitio, Forstner. *ad Tacit. lib.* 1. *Annal.* Nec vera Religione, sed alio aliquo introducto Numinis cultu, divinorum oraculorum autoritate, sacrorum doctrina & professione, ac eorum Antistitum concionibus, monitis ac hortatu populus potest persvaderi, Boxhorn. *lib.* 1. *Instit. polit. cap.* 7. LYCURGUS Lacedæmoniorum Rempubl. temperavit, & leges suas autoritate Apollinis Delphici confirmavit, Cic. *de Divinitate cap.* 96. MINOS leges quas dedit Cretensibus, retulit ad Jovem quotannis in quoddam præaltum & vetusta Religione specus secedens, ubi rogabat eas, Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. Apud Romanos NUMA Religionem à Dea EGERIA accipere simulavit, Flor. *lib.* 1. *c.* 2. (quam conversationem & complexum Numa cum Dea non tam pro corporali præsentia, quàm pro singulari afflatu accipit Thomas Sagittarius *in quæst. Illustr. Philosophicar. Decur.* 2. *quæst.* 9.) CHRISTOPHORUS COLUMBUS, cùm à Iamaizensibus nihil alimentorum impetrare posset, Regulo Eorum nunciari jussit, Lunam, cujus ipse Amicus & Cultor sit, eam injuriam mox graviter vindicaturam. Prospexerat autem defectum Lunæ (quam Indi

ſumma veneratione proſequuntur) Vir Aſtronomicarum rerum peritisſimus, & cum paulo poſt Luna deficeret, ita Jamaicenſes territi ſunt, ut ad ipſius Ducis cæterorumque militum pedes provoluti, tùm erratorum veniam poſcerent, tùm commeatum ac neceſſaria abundè præberent. Ruperti *ad Valer. Maxim. lib. 1. cap. 2.* SENATUS ROMANUS laudatur, quod ita magni Religionem fecerit, ut quotiescunque coactus ille eſſet, id ipſum, quod primò proponebatur, ad Religionem pertineret, nullaque quanquam gravior cauſa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc averteret, Danhauer. *quæſt. pol. 6.* Quis neſcit, in Ægypto, quæ cloaca omnium Deorum variarumque ſuperſtitionum erat, fuiſſe ſimulacra capite canino, taurino, cæterorumque animalium irrationalium figmenta? quæ ſalsè ridet Juvenal. *Sat.* 15. confer. Diodor. *lib. 1. part. 2. rer. antiqvar. cap.* 4. Iohan. Reinhold. *tom. 2. prel.* 220. Dilherr *Diſput. philolog. tom. 1. p.* 115. MOSCOVITÆ & RUSSI Domino ſuo in omnibus, quicquid etiam tyrannicè agit, obedientiam præſtant, cum Dei voluntate omnia geri exiſtiment, Chytr. *lib. 1. Chronic. Saxonic.* Et quantum non fucata Religio ad Rationem Status conferat, docet Ludovicus Septalius lib. 1. d. rat. ſtat. cap. 10. Ridendus ergo eſt *Zamoſchius* Polonorum Cancellarius, qui irriſiſſe fertur Germanorum deliberationes comitiales, quod negotia Religionis potisſimùm in iis tractarentur. Arumæ. *jur. publ. tom.* 3. *diſc.* 23. *num.* 32.

POSITIO II.

Princeps de religione, verbo Dei judice, ſtatuat.

Serviant Reges terræ Chriſto, etiam leges ferendo pro Chriſto, Grotius *de Imper. ſummar. poteſtat. circ. ſacra.* Iſidor. *lib.* 3. *Sentent. de Summ. bon. c.* 53. Hoc enim muneris Cæ-

ſarei

ſarei eſt, dicente Theodoſio *in Epiſt. ad Cyrill.* ut non ſolùm pacificè, ſed piè etiam Subditi vivant. In hoc potius Reges (verba ſunt Auguſtini *contra Creſcon.* 3. *c.* 51.) ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, malis prohibeant, non ſolùm quæ ad humanam ſocietatem pertinent, verùm etiam, quæ ad divinam Religionem. Debet Imperator advertere, ſcribit LEO I. ad Imper. Leonem, regiam poteſtatem non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam. Nobis, inquit Imperator JUSTINIANUS Orat. ad Mennam apud Baron. *tom.* 7. *anno* 538. *num.* 33. ſemper ſtudio fuit, atque etiam nunc eſt, & irreprehenſibilem Chriſtianam fidem ſtatumque ſanctiſſimum Dei catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ perturbationis expertem usquequaque cuſtodiri. Hæc nobis prima & antiquiſſima cura eſt, per quam & nobis in præſenti ſeculo Imperium à Deo traditum eſſe & conſervari credimus & Reipublicæ Inimicos ſubdi. CONSTANTINUS MAGNUS Concilium primum Oecumenicum Nicænum coegit. Hic Imperator Epiſcopis in Nicæno congregatis, in ſella ex auro fabricata, ſummo loco aſſedit, ibique orationem hortatoriam habere cœpit, quâ illos ad conſenſionem animorum & concordiam commoveret. Euſebius *lib.* 3. *d. Vit. Conſtant. cap.* 10. & 13. ubi ait: Cum igitur multa eſſent ex utraque parte propoſita, magnaque controverſia in ipſo Diſputationis congreſſu concitata: Imperator toleranter & placidè omnibus animum attendere, ſtudio acri prolatas Sententias ſenſim excipere: Viciſſim ferre opem utrique diſceptantium parti, eos magna cum contentione digladiantes paulatim conciliare: conferre cum ſingulis comiter & benignè ſermonem; usque eò, ut tandem eos in omnibus rebus, quæ in quæſtionem aliquando veniſſent, tum conſpirantes animis, tum opinionibus adeò conſentientes

N red-

redderet,ut non modo concors fides inter eos vigeret, sed etiam unum idemqeu tempus in salutari festo Paschatis celebrandum observandumq; ab omnibus concederetur. THEODOSIUS MAJOR convocavit *Constantinopolitanum* primum, Sozomen *lib.* 7. *cap.* 7. Theodoret. *lib.* 5. *cap.* 7. Nicæphor. *lib.* 12. *cap.* 10. THEODOSIUS JUNIOR *Ephesinum* concilium coegit, Theodoret. *lib.* 1. *cap.* 3. MARCIANUS Imperator instituit *Chalcedonense*. JUSTINIANUS Imperat. vicissim *Constantinopolitanum* indixit, Evagnius *lib.* 4. *cap.* 37. D. Andreas Kunad. *in Constant. Magn. Evangel. disput.* 6. *th.* 9. CAROLUS M. (qui hasce literas incisas habuit suo gladio, D.P.C.A.D.C. *h. e.* Decem Præceptorum Custos A Deo Constitutus. Finck. *Cent.* 3. *Can. Theol.* 68. *p.* 108.) *anno* 794. ad condemnandam hæresin Felicianam Concilium Episcoporum, ex omnibus Regni sui Provinciis, in villa Francofurt juxta Mœnum congregavit. Baron. *tom.* 9. *num.* 16. Adfuerunt in eadem Synodo Legati Pontificis. D. Conring. *in Dissertat. d. Conciliis thes.* 11. adde Goldastum *part.* 2. *Constitut. Imperial.* ubi Edictum extat, quô de Articulis fidei cum cura docendis præcipit. Gregorius Rom. potestatem ejusmodi convocandi in THEODORICO Franciæ Rege agnovit, quando Eum *Epist.* 54. *lib.* 9. hortatur ad Synodum habendam. Vestra, inquit, Excellentia Dei nostri mandatis inhærens, studium ad congregandam Synodum pro sua mercede adhibere dignetur, ut omne à Sacerdotibus corporale vitium potestatis Vestræ imminente Censura, & Concilii definitione tollatur, & abscissum à radicibus amputetur. Rectè etiam judicat Princeps in sacris absque Synodo. THEODOSIUS MAJOR facto in Ecclesia ab Hæreticis tumultu, exiguo post *Constantinopolitanum I.* tempore, vigentium tunc sectarum antesignanos rursus convocat, ut aut docerent, aut discerent, eorum veritatem, de quibus inter se contendebant.

Pri-

Primum ergo benigne, qui convenerant, ad se admittit, capit cujusque dogma scriptis proditum. Deinde se in locum separatum concludit: Precatur obnixè, ut Deus sibi ad veritatem eliciendam opem ferre velit. Postremò dogmate cujusque perlecto, cætera omnia, utpote Trinitatis unitatem dirimentia, damnat, lacerat; Solam autem Consubstantialitatis fidem laudat, approbat. Rex Angliæ A D G A R U S (vel E D E G A R U S) circa annum Christi 959. habenas Regni suscipiens, de conservanda pietate sollicitus fuit: Sic enim ad Ecclesiarum & Monasteriorum Patres verba habuit: Sed & meæ sollicitudinis est, Ecclesiarum Ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum, & necessaria procurare, & paci Eorum quietique consulere: de quorum omnium moribus spectat ad Nos examen. (Quo loco tamen Parsonius Jesuita NOS mutavit in VOS. Bernegger *in Observat. Miscellan. Observ.* 14.) HENRICUS VIII. Angliæ Rex, Caput Ecclesiæ publico decreto, Senatu Ordinum Regni assentiente, sese pronunciavit, dixitque Christiano cuique Regi, Principi ac Reipubl. concessum, externam in rebus Ecclesiasticis regiminis formam suis præscribere, quæ ad civilis administrationis formam quàm proximè accedat, Hugo Grotius *dict. tractat. cap.* 9. §. 24. HENRICUS Galliæ Rex in Decreto de judiciis Ecclesiasticis *Anno* 1555. 15. *Kal. Mart.* promulgato, & à Legatis Senatus potestatem ejusmodi tributam sibi recepit, vid. Thuan. *lib.* 16. *Histor. p.* 782. Philippus Mornæus, Dominus de Plessis *in tract. d. statu Galliæ c.* 16. De Juribus, quæ Reges Galliæ in rebus Ecclesiasticis usurpant, vide latè Renat. Choppin. *d. polit. Ecclesiast. lib.* 1. *tit.* 7.

POSITIO III.

Religio cautè conservanda est & propaganda.

Jeſuita Andreas Philopater Presbyter Romanus in ſcripto contra Reginæ Eliſabethæ Angliæ Edictum *anno* 1592. Auguſtæ impresſo reſpondit: Benevolentiâ & tolerantiâ tentanda res eſt. Quod Germaniæ Principes ut plurimum faciunt. Nam perſecutione & presſuris & tam iniquis abſurdisque præter omnem veritatem & rationem edictis, & tanta hominum ſtrage & lanienâ uſus jam experientiaque ſatis, opinor, edocuit, nihil profici poſſe: Sed alacriores longè fieri animos, permotioresque ad reſiſtendum. Saltem ſequi debent Gamalielis conſilium, quo de Apoſtolus dixit ad Judæorum principes: Sinite homines iſtos, quoniam, ſi eſt ex hominibus hoc opus, diſſolvetur. Si verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini. SUPERIORIS HASSIÆ PRINCIPES in ſuis ditionibus laudabiliter inſtituerunt, ut *Judæi* ſingulis annis *Gieſſæ* in curia oppidana conveniant, ubi *Superintendens Generalis* concionem habet. Ipſis crasſos errores ex Scriptura Sacra Veteris Teſtamenti ob oculos ponit, veritatemque Religionis Chriſtianæ monſtrat, fit eô modô, ut quandoque nonnulli convertantur vid. D. Joh. Andr. Gerhard. *in quæſtion. Controv. hex.* 11. *quæſt.* 6. CAROLUS Stuart Rex Angliæ abſolutam in Eccleſiaſticis poteſtatem ſibi arrogabat, cui Parlamentum contradicebat, illumque inaudito exemplo è vita & Regno exterminabant, vid. Salmaſium. *Num autem aſtu & circumventionibus fides ſit propaganda?* Dubitatur. Huc refer, quæ habet Hiſtoria Chriſti & Petri, Perſicè ſcripta ab Hieronymo Xavier, quam edidit cum animadverſionibus Ludovicus de Dieu. Quo die, inquit nata eſt Virgo Maria. Chriſtiani feſtum celebrant. Primi id non fecerunt, quia voluntas Dei hac in parte ipſis nota non erat. Verùm Deus eam manifeſtavit, eo modo, quô dicetur: Vir quidam religioſus erat in deſerto, & continuò cultui

tui Dei vacabat. Hic Vir quotannis octavò die Mensis Septembris melodiam quandam gaudii admirandi in cœlis audiebat; die quodam Angelum interrogavit, causa hujus melodiæ & gaudii quænam est? Is respondit: Quia hoc die Maria Mater Christi nata fuit; ille Vir hanc historiam narravit, & post investigationem Librorum repererunt, revera eodem die natam fuisse. Ab isto tempore, inita ratione, Papa *Innocentius IV.* anno millesimo ducentesimo quinquagesimo à Nativitate Christi festum facere mundo præcepit. Nos sententiam Chrysostomi in Matthæum amplectimur dicentis: *Absit à me, ut veritatem per mendacium velim iri confirmatum.*

POSITIO. IV.

Religio non est propaganda armis.

Alia omnia pro arbitrio civilis Magistratus, atque adeo principis sanciuntur; Sola Religio non imperatur: sed & præceptâ Veritatis opinione, accedente divini Numinis gratia, benè præparatis mentibus infunditur. Ad eam Cruciatus nihil valent; quin obfirmant potius animos, quàm frangunt aut persvadent. Jacob. Aug. Thuan. *Tom 1. Histor iar.* Hoc ad irreligiositatis elogium concurrit, adimere libertatem Religionis, & interdicere opinionem divinitatis, ut non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere, quem nolim. Tertullianus *in Apologetic.* Idem *ad Scapulam.* Non est Religionis cogere Religionem, quæ sponte suscipi debet non vi: cum & hostiæ ab anima libenti expostulentur. Et Augustinus: Animis hominum non ita imperatur velut linguis; Mentium enim Rex Deus est. Atque hoc ipsum volunt Canones *Distinct.* 45. *Can. a. Jud.e.* Nemini deinceps ad credendum vim inferri: Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes: ut integra sit forma justitiæ. Item mali sunt tolerandi,

randi, nec corporali, sed spirituali vindicta sunt puniendi, unde Discipuli non recepti à Samaritanis, ignem cælitus super eos deducere voluerunt, dicentes magistro: Vis dicamus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat eos? Audierunt, nescitis, cujus Spiritus estis; Rex THEODORICUS apud Cassiodorum *varior. 2. Epist. 27.* Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus. Nec ulla est major Tyrannis, quàm imperare velle conscientiis, prout Imperator MAXIMILIANUS II. dixisse fertur ad Colonellum Lazarum de Schvvendi scribens: Res pietatis gladio non volunt dijudicari neque tractari. Neque aliter sentiet quisquam, in quo aliquid est pietatis & honestatis, ullumve pacis & Tranquillitatis studium reliquum. Inquisitio ab Hispaniarum Rege contra Batavos decreta *anno* 1565. intestinorum bellorum diutinam materiam dedit, quam defectio septem provinciarum Nobilissimarnm secuta est. Apolog. Belgar. *de anno* 1603. Namque Dux ALBANUS quondam in convivio jactaverat, 18000. hominum propter religionem per manum Carnificis interiisse: Germaniæ motus quasi lethales dati sunt hocce seculo, quum in Pannonia & Bohemia Libertas Religionis invideretur Evangelicis, ipsisque templa recens structa Brunoviæ & Clostergabii occluderentur soloque æquarentur, Boxhorn. *p.* 92. 93. & continuat. Cluver. *p.* 777. *& seqq.* adde Simon Gogreven Mindan. *in quæstion. An exercitium Religionis contra superiorem illud vi impedientem armis defendi jure possit.* & novissimè Dn Adami Pisetzcky à Kranichfeld *dissertationem Theol. jur. hist. polit. in qua domonstratur Religionem vi, carcere, tormentis, flagris, ferro &c. propagari non posse.*

POSITIO V.

Toleranda est Pluralitas Religionum.

Sci-

Scilicet, si fini Reipublicæ non repugnet. Princeps toleret, non lanienâ institutâ perdat Rempublicam. Fungatur officio Medici; quemadmodum enim hic temperat Medicinam ad temperamenti & necessitatis constitutionem, ita & Princeps. Necessitas enim est Lex illa temporis, & omnibus dominatur, dicto Orphei *in Hymno noctis*, cui nec Dii possunt resistere, Erasm. *in Adag.* qua de re vide Pichlerum, Professorem quondam Academiæ Regiomontanæ *in discurs. Politic. proæmiali* 5. *num.* 45. Egregiè Dn. Felwinger *disputat. de Religion. th.* 16. ait; Si Princeps unicam tantum invenerit Religionem, & Status Regni tranquillus fuerit, non facilè admittat plures, sed videat, ut ipse Deum juxta leges Patrias colat, & ut alii colant, efficiat; eos verò, qui in divinis aliquid movent, odio habeat & coerceat. Si verò status turbulentus est, & eversio Regni metuenda nisi religionis diversitas permittatur, dico Magistratum probè discernere debere Religiones, & homines Religioni addictos. Religionum enim aliqua ab altera dissentit, non directè in fundamento, sed tantùm in quæstionibus, aut ceremoniis & rebus circa fidem, non de fide: & hujusmodi Religiones salvâ conscientiâ à Magistratu tolerari posse penitus mihi persvadeo, hocque *ex* 1. *Cor.* 3. *vers.* 10. 11. 12. 13. Quod si verò aliqua directè ipsum evertat fundamentum, (loquor de Magistratu Christiano) ne toleretur quidem, sed penitus inhibeatur, mediis tamen benignis ad Veritatis agnitionem homines isti Religioni addicti perducantur; Maximè si non sint homines improbi & pertinaces. Hâc verò intercedente contumaciâ, ejiciantur, & aliorsum mittantur; non tamen occidantur, ne scilicet morbus longius contagione serpat, aliaque membra adhuc sana inficiat, inter quas Religiones refer Judaicam, Photinianam &c. VALENTINIANUM Imperatorem Ammianus *lib.* 30. *c.* 30. summis effert laudibus, quod

eo

eô principatus moderamine claruerit, ut inter Religionum diversitates Medius staret, nec quemquam inquietaret, nec ut hoc coleretur, imperaret, aut illud, nec interdictis minacibus Subjectorum cervicem ad id, quod ipse coluit, inclinaret, sed intemeratas relinqueret has partes ut reperit. FERDINANDUS I. crebris sermonibus ante obitum suum hoc usurpavit: Inter summa, quæ Deus in gubernatione Imperii sibi concessisset, primum atque maximum se hoc dicere, quod ad sedandas discordias publicas, animum adjecisset, & *Tolerantiæ in Religione inventum* sibi Deus in mentem dedisset, Joh. Hieronym. Imhoff. *discurs. polit.* 1. Præstat aliquam habere Religionem, quàm nullam, vide Haveman *in Helice p.* 117. Voet. *tom.* 2. *disp. select. p.* 613. *& tom.* 3. *p.* 294. Meisner. *Philosoph. Sobr. p.* 831. D. Conrad. Fridlieb JCtum & Antecessor. Gryphiswaldensem *in lib. d. levando Stat. Eccles. cap.* 2. §. 9. *& seqq.* D. Joh. Gerhard *in quæstion. An diversæ Religiones in benè constituta Republicâ sint tolerandæ, annexa centuriæ quæst. politicar, addatur* Consultatio nostra *Utrum cognitio Rerū Ecclesiastic. semper sit penes jura Territorii habentem thes* 11. Est Ratio Status sub Religionis libertate augere Imperium. Ita TURCARUM IMPERATOR, quondam ad Poloniæ Regnum adspirans, plenam conscientiarum libertatem Regnicolis promisit, Leulenav. *in pandect. Turc. c.* 190. Promissio autem libertatis non nudis duntaxat fiat verbis, sed ipso facto præstetur. CAROLO IX. Galliæ Regi malè vertitur, quod, quicquid de Religionum libertate ante cavisset, pro tempore statutum, non perpetuum esse, *Hugonotis* responderit. Andr. Maurocen. 8. *Histor. Venet.*

POSITIO VI.

Ne nimiùm disputetur de Religione.

Tametsi enim orthodoxæ Religionis cognitio haud parùm scientiis illustretur, illud tamen negari non potest, multa etiam

etiam ab iisdem ad meras reduci opiniones, è quibus variæ nascuntur Sectæ, & ex his Imperiorum conversiones; imò cognitô jam verô Dei cultu, utilior mundo fore videretur, sincera aliqua & credula ignorantia, quàm superba & inanis sciendi præsumptio, maximis erroribus exposita, Didac. Saavedr. *Symbol. polit.* 66. & sanctius & reverentius visum, de actis Deorum credere, quàm scire, Tacit. *d. Germanis cap.* 34. §. 4. ubi Bernegg. ita: Infelicitatem seculi nostri, & aversa à concordiæ studio ingenia, cùm aliis, tùm hoc maximè cognoscimus argumento, quod in Religionis negotio, quæ fidem tamen, non rationem Ducem habet, ratiocinatiunculis & sermonibus Syllogisticis, velut herbæ & pascuis armenta, omnes inhiant, quodque opificibus etiam effusa sunt arcana Theologiæ. Et illi, qui de recta fide ambigui sunt, nec quomodo credendum sit, sciunt, nec quid sit illud, quod credere se dicunt. Illi, inquam, & fora & porticus, & theatra omnia Theologiâ compleverunt.

Mirum! Disputat universus orbis.
Nec mirum: quoniam universus orbis
Nunc stultâ sapientiâ tumescit.

Dn. Felvvinger. *de Religione thes.* 18. Cùm ergò semel constituta, & omnium consensu probata Religio fuerit, ne posthac in Disputationem deducantur, cavendum est: Ut omnes Subditorum viæ, omnes intercludantur aditus, & pacis præsidia muniantur, Bodin. *lib.* 5. *cap.* 1. *de Republ.* In IMPERIO ROMANO GERMANICO vigore *Instrumenti Pacis Cæsar. Svetici* §. 50. cautum est, Utriusque Religionis magistratus severè & rigorosè prohibeat, ne quisquam publicè privatimve concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo Transactionem Passaviensem, Pacem Religiosam, uspiam impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur. ORIENTIS & AFRICÆ POPULI,

Ipsique HISPANIARUM REGES dissertationes de Religione prohibuêre. Felvving. *d. l. thes.* 17.

POSITIO VII.

Ne dissimuletur Religio aut facilè mutetur.

Illud enim turpitudinem continet; Nec quicquam est, quod Principi tàm apud Amicos, quàm Inimicos magis autoritatem & fidem detrahat, quàm hypocrisis. Qui Deo conatur imponere, an is hominibus ubicunque usus veniat, imponere non ausit? Caspar. Ens *Schol. polit. Sect.* 7. *axiomat.* 1. Et talis mutatio plerumque perniciosa est Reipublicæ, sine magnis enim motibus non suscipitur. Gregor. Richter, *axiom. polit.* 291. De Romanis Livius 39. *ibi* Quoties hoc patrum avorumque ætate negotium est Magistratibus datum, ad sacra externa fieri vetarent, sacrificulos vatesque foro, circo, urbe prohiberent, vaticinos libros conquirerent, comburerentque, omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? Judicabant enim prudentissimi viri omnis divini humanique juris, nihil æquè dissolvendæ Religionis esse, quàm ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Freder. Marselaer *de Legat. dissertat* 21. suadet Legato, patriam religionem ne mutet. Regem WITERICUM, teste Saavedr. *Symb. polit.* 60. manibus suis obtruncarunt Subditi, quod Arrianam Sectam conatus fuisset introducere: WITIZAM item, quod ritus & ceremonias Religionis immutasset: Galæcia adversus Regem suum FROILAM arma sumpsit, quod conjugia Clericorum introducta, sustulisset. Ab *anno* 1550 usque ad *annum* 1580 in unito Belgio, Gallia, Anglia, Italia, & Hispania religionis causa *novies centena millia* hominum occisi fuerunt, inter quos 39 Principes, 148 Comites, 235 Barones, 147518 Nobiles, & 700060 Plebeji. D. Sacc. *part.* 2. *post Domin.* 8. *Trinitat.* PO-

POSITIO VIII.

Religionis ſpecie nemo ſuis defraudetur.

Sine verâ & interna animi pietate, *Jerem.* 7. *v.* 4. ne fidatis vobis in verbis mendacii dicendo: Templum Jehovæ; Templum Jehovæ, ſunt templum Jehovæ, *v.* 5. quoniam ſi emendando emendaveritis vias veſtras, & opera veſtra, & faciendo feceritis judicium, inter virum atque amicum ejus; *v.6.* peregrinum, pupillum & viduam non oppreſſeritis & ſanguinem non effuderitis in loco iſto, & poſt Deos alienos non ambulaveritis in malum vobis. *v.*7. tunc habitare faciam vos in loco iſto, in terra, quam dedi patribus veſtris à ſeculo usque in ſeculum. Præclarè Natalis Comes *lib.* 1. *c.* 1. *Hiſtor.* ait: Ego facinoroſi & injurii hominis ſemper exiſtimavi, per ſimulationem contemtæ aut violatæ Religionis alterius bona prædari: Cum nulla ſit tàm nefaria Religio tamque impia, quæ jubeat in homines diverſæ Religionis latrocinia exercere. Sed hæc ſunt avariſſimorum Tyrannorum inſtituta, & probitatis integumenta. De FERDINANDO Hiſpaniarum Rege Thuan. *lib.* 1. In Ferdinando nihil meritò deſideres, præterquam fidem, quâ ſub colore Religionis, quam omnibus actionibus ſuis ſemper prætexebat, ad ambitionem & inexplebilem propagandi Imperii cupiditatem, mirâ calliditate uſus eſt.

POSITIO IX.

Religionibus gentes vicinæ non ſunt concitandæ.

Quibus principiis quidem innituntur GALLUS & HISPANUS; In Gallia, ait Rohan. *Trutin. ſtat. Europæ diſc.* 1. Ubi multi ſunt proteſtantes, Catholici tamen primas ob-

tinent, Rex ab Hispano stimulandus est, illos ut expellat; *Papa* monendus, ut idem apud Regem urgeat; Simul tamen *Protestantes* animandi, iisque auxilia promittenda, quo bellum intestinum suscitetur. Quod si Rex hoc olfaciens eò trahi nequeat, tum Catholici ipsi adversus Regem sunt concitandi, utpote talem, qui hæreticis plus nimio conniveat, viribus omnibus illis assistendum; Papa etiam, si fieri potest, implicandus. *Anglis* in Flandria & Hispania collegia erigenda, ubi in Religione Catholica diligenter informetur juventus speciali munificentia; hæc etiam Theologia inclucanda, Martyrii coronam & Paradisum ipsum promereri, dummodo Hispanicæ potentiæ serviat. In *Germania* Imperium sub Religionis velo penes Domum Austiacam conservandum & quasi hisce mediis Christiani contra Turcam defendantur. In *Helvetia* Catholicis instillanda spes est, protestantes ipsis in prædam datum iri. In *Belgio* longævis armorum induciis, schisma quoddam spargendum. Eriguntur in hunc finem in Hispania & Flandria Collegia, in quibus in Religione gratis informetur juventus, quo allici posset per concessa privilegia constitutaque stipendia, qua ratione juvenes addiscerent constantiam in tolerandis tormentis, ut cuique facinori patrando facilè addicerentur, spe enutriti, quod pessima quæque in emolumentum Hispaniæ peragendo paradisum promereantur. Sic *Jacobus Clemens*, Dominicanus Monachus literarum rudis, annorum XXII. persvasus, uti creditur, à MONBENSERIA (fuit fæmina elegantissima & principalis sanguinis) patrem ex suo Ordine, qui eruditione inter Collegii Sodales excellebat, consuluit; An salva conscientiâ HENRICUM III. VALESIUM Galliæ Regem occidere posset? Qui tandem respondit, siquidem non odio aut ultionis privatæ studio, sed amore Dei inflammatus pro religione & patriæ amore id

susci-

suscipiat, non solùm id inoffensâ conscientiâ facere posse, sed multa quoque apud Deum meriturum: Qui hac spe fretus, postquam facta ipsi esset Regis copia, Regicidium commisit. Quod factum *Sixtus V.* pontifex in conclavi habita Oratione laudavit, Sicariumque cum Juditha nominare non erubuit: quod tamen insolens & pastorali moderatione indignum judicarunt adstantes, MS. *Scrutin. Ingen. politic. de Rat. stat. Hispanic.*

POSITIO X.

Athei in Republica non sunt ferendi.

Atheismus sæpius peregrinationibus contrahitur. In GALLIA Atheistas excrevisse ad 60000, & LUTETIÆ anno 1623. 50000 inventos esse testatur Theophil. Spizelius *Scrut. Atheism. pag.* 26. LONDINI Mulierem quandam multis audientibus dixisse: Mendacia esse in scripturis & homines ex scripturis Idolum facere, Reggius *lib. de stat. Eccles. in Anglia p.*103. refert. SVECI anno 1664. laudabiliter decreverunt, ut Studiosus peregrè rediens & suspectus examinaretur, & hæreseos convictus, ut turbator patriæ puniretur, Schwedisch. Reichs-Schl. *dict. ann.* §. 2. Pœnam Atheistarum vid. *in Novell. Constitut. Cap.* 2. Anno hujus seculi 17. *Julius Cæsar Vaninus* Neapolitanus, Philosophus ac Medicus in libris de Arcanis Naturæ, quos edidit, Existentiam Dei tollere conatus, & propterea *Tolosæ* combustus est. Heerbord. *Pneum. lib.* 2. *ad Theor*, 3. *p.* 96. addatur Zvvinger. *in Theatr. vit. human. vol.* 17. *lib.* 17. *p.* 3188. TURCÆ licet omnes Religiones tolerent, Apostatas tamen suæ Religionis, ac etiam hæreticos ut Persas acerrimè persequuntur. Besold. *Thesaur. practic. voc. Religio.*

Sed quis *Magnatum*, cùm atheismi labe infecti inveniantur, audit *Judex? Solus Deus*; qui tarditatem gravitate compensat.

CAPUT VI
DE
OECONOMIA PRINCIPIS.
POSITIO I.
Parcus ſit Princeps (nihil tamen detrahendo divinis) nec plus impendat, quàm ferre valeant proventus.

Nullum tributum, nullus reditus amplior quàm vitare ſumptus. Aurum, quod effuſum eſt ſemel, non revertitur. Aggeribus oppoſitis creſcunt fluviorum fontes. Attinere pecuniam, eſt ſiſtere argentum vivum & lapis Philoſophicus maximè probatus ac locuples, Saavedr. *Symb. polit.* 69. In Regnis inprimis mediâ viâ inſiſtendum eſt, ut neq; inanes, neq; immanes ſumtus impendantur. Dietericus *in Tiber. Claudio. thes.* 8. SANCTUS LUDOVICUS Franciæ Rex filium ſuum Philippum admonuit, daret operam, ut impenſæ moderatæ eſſent, & rationi conſentaneæ Saavedr. *ibid.*

Fructibus Agryppæ Siculis, quos colligis Icci,
Si rectè frueris, non eſt ut copula major
Ab jove donari poſſit tibi, tolle querelas,

Horat. *lib. 1. Epiſt.* Melius eſt parcere, quod neceſſariis temporibus expendas; quàm expendere, quod novâ injuriâ ſubjectis populis repetas, Forſtner. *ad Corn. Tacit. in not. polit. pag. mih.* 115. Dicere ſolebat Scanderkeck: Belligerandum ita eſſe hodie, ut cras etiam belligerare poſſimus. Scilicet ita partiendum eſſe patrimonium, ut quotidie emergentibus caſibus pares eſſe queamus. D. Lebleu *d. morb. Imper. præcipuis thes.* 58. CYRUS rogatus ab Hoſpite, quid ad prandium apparari juberet: Nihil aliud, inquit, quàm panem: Nam ſpero me prope rivum cænaturum. Mira frugalitas

in Rege barbaro, cui panis erat pro obsonio, & sitim aquæ spe deferebat in cœnam, Ammian. *lib.* 21. Ex R. Jedaja in Mibchar happeninim *Sect. X. elect.* 11. *p.* 86. 87. memorat D. Joh.Bened. Carpzov. *in animadversion. ad Schickarti Jus Regium Hebræor. cap.* 3. *theor.* 11. *lit.* K, quod dixerit aliquando Rex quidam Sapienti; si petiisses à me, satis tibi dedissem omnibus diebus tuis. Cui ille respondebat: & quare peterem abs te, cùm ipse sim te longè ditior. Regerebat Rex: ecquomodo verò tu me ditior fueris? Respondebat ille: propterea, quia ego paucis illis, quæ possideo, contentus sum magis, quàm tu contentus es iis opibus, quas habes. Parsimonia apud veteres ROMANOS, & victus atq; castiarum tenuitas non domesticâ solùm observatione ac disciplina, sed publicâ quoque animadversione legumque complurium sanctionibus custodita est. Legi adeo nuper in Capitonis Atterii collectaneis Senatûs Decretum vetus, C. Fannio & M. Valerio Messala Coss. factum, in quo jubentur Principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, i. e. mutua inter se convivia agitarent, jurare apud Coss. verbis conceptis, non ampliùs in singulas cænas sumptus esse facturos, quàm centenos vicenosq; æris, præter holus & far & vinum, neq; vino alienigenâ sed patrio usuros, neque argenti in convivio plus pondo, quàm libras centum illaturos. Gell. *lib.* 2. *cap.* 24 *p.m.* 107. TITUS POMPONIUS ATTICUS non minus bonus paterfamilias habitus est, quàm civis. Nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. Usus est familia, si utilitate judicandum, optima; Si formâ, vix mediocri, Cornel. Nep. *in Attic.* TIBERIUS tanto acceptius in vulgum, quanto Modicus privatis ædificationibus. Nè publicè quidem, nisi duo opera struxit, templum Augusto & scenam Pompejani Theatri, Tacit. *lib.* 6. *Annal.* Unde ipsum vocat Principem antiquæ parsimoniæ Tacit. *Histor. pag.* 801

TITI.

TITI VESPASIANI convivia non profusa, sed jucunditatis plena semper fuere, Pontan. *Cap.* 1. *de Continent.* Satius est cum MUMMIO tabulas Corinthiorum eorumque raritatem ac pretia non intelligere, adeoque rudem appellari, quàm cum Scipione Elegantem, Vellej. paterc. *lib.1.c.13.* add. Livium *l.34. in Orat.Caton.* ALEXANDER SEVERUS Urbem atque provincias & aulam suam purgavit hominibus non necessariis, dicens: Malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines Reipubl. nec necessarios, nec utiles aleret. Idcirco idem Imperator aulicum ministerium ita contraxit, ut essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas tantùm postulabat. Ælius Lamprid. *in Ejus vita.* ANTONINI PII victus & vestitus talis fuit, ut inesset eidem opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus, & mensa ejus per proprios servos, aucupes, piscatores, & venatores institueretur. Dn. Robert. Keuchen *in Anton. Pio. p. m.* 153. CAROLUS M. in cibo ac potu fuit temperans, sed in potu temperantior. Cæna quotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter assam, quam verubus Venatores adferre solebant, quâ ille lubentius, quàm ullo alio cibo vescebatur. Eginhart. *in Vit. Carol. M. c.* 24. ALPHONSUS Arragonius respondit petentibus, ut regio ornatu incederet: Sinite, inquiebat, me: malo enim moribus & autoritate meos antecellere, quàm diademate & purpura, Panormitan. *lib.* 1. *de reb. gest. Alphons.* MAXIMILIAN. I. Imperat. inter prandia raró bibebat, cœnabat utplurimum ter: atque adeo valetudo illi ad periodum vitæ usque prospera semper fuit. Cuspian. *in Vit. Maximilian.* Hodie tormentis, exercitiis & venationibus sumtuosæ & subditis luctuosæ inpensæ consumuntur Lacher. *de censu* 1. *cap.* 13. Et olim æquè ac hodie Equos superfluos alunt Magnates ad pompam. De CALIGULA scribit Dion *in ejus vitâ* §. 3.

Is

Is unum ex eqvis suis, quem *Incitatum* nominabat, invitabat ad cœnam, ita ut ei hordeum ex auro apponeret, funderetque vinum in poculis aureis ac per salutem ejus & fortunam juraret, seque eum Consulem facturum polliceretur: id quod fecisset omnino, si vixisset diutius. Eidem quoque equile marmoreum & præsepe eburneum, propterque purpurea tegumenta, ac monile ê gemmis, domum etiam & familiam, & supellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur. Luxuria autem ista fomes est omnium penè malorum, quô fit, ut nullæ divitiæ tàm amplæ sint, nulla supellex tam præclara, nullæ opes tam magnæ, quæ parvo tempore in Ventrem non demergantur. Herman Latheran. *d. l. c.* 10. *n.* 1. *&* 6.

Namque ut opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, & rebus mores cessere secundis,
Prædaque & hostiles luxum svasêre rapinæ.

Lucanus *lib.* 1. Inopia, dicto Plauti, Luxuriæ Filia est. De SCIPIONE, FAUSTO, LIBONE Cicero *epist. lib.* 9. *ad Atticum.* Quid tu illis Scipionem, quid Faustum, quid Libonem prætermissurum sceleris putas? quorum Creditores convenire dicuntur. CATILINARIÆ CONJUNCTIONIS communis causa traditur Luxuria & Egestas. Dieteric. *in Otton. II. th.* 7. Germanorum Imperatoribus luxui deditis non solùm Germaniam, sed & Galliam pro derelicto habitas fuisse testantur Annales. Dieter. *in Otton. Magno thes.* 2. Gravissimis tamen calamitatibus conflictari cœperunt, qui sub velamento Parsimoniæ expensis divino cultui destinatis aliquid subtraxerunt.

POSITIO II.

Largitionibus non necessariis abstineatur.

Liberalitas, ni adsit modus, in exitium vertitur. Tacit. 3. *Histor.* 86. 3. Principibus Luxuria specie liberalitatis sæpius imponit, qui perdere sciunt, donare nesciunt. Id. *l. Histor.* 30. 2.

Fürsten und Herren pancketiren/
Feurwerk/ Fechten und Turniren/
Aufzug und grosse Præsent/
Schmälern die Schatz-Cammer und Renth.

Liberalis non censetur, qui de publicis liberalis est, nec qui indignis dat, Boter *d. Polit. Illustr. lib.* 1. *cap.* 20. optima est fructuum augendorum ratio, si qua expensarum immanitatem amputet & circumcidat; non semper congiaria (sed ut Fabius Maximus citante Quintiliano *lib.* 6. *cap.* 4. appellabat) heminaria distribuens. Christianissimi Regis Galliæ LUDOVICI apud Paulum Jovium sapientissima est sententia: Scilicet Sapienti Regi satius esse nihil debere, quàm multa largiri. Hispaniæ & Franciæ Rex SISENANDUS (hoc eum appellavit titulo concilium Toletanum Quartum) dicebat; Reges esse debere magis parcos, quàm prodigos, Saavedr. *Symb. polit.* 69. Efficit Princeps ex Africæ Hispaniarumque Regis ad filium JACOBUM Almansorem sententia, ut profusis consumptisque opibus, etiamnum vivus pro mortuo habeatur, Caspar Ens Epidorp. *lib.* 1. Largitionem seqvuntur rapinæ. Cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus adferre coguntur. Ita cum benevolentiæ comparandæ causa benefici esse velint, non tanta studia asseqvuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia Eorum, quibus ademeruut, Cic. *lib.* 2. *Offi.* DEMETRIUS POLIORCETES Macedoniæ Rex nullo tametsi maximo etiam flagitio Athenienses ita mordisse fertur, quàm quod CCL. talenta ipsis propere imperata, exactio præcipitata, & acerbè exercita esset, id argentum statim, ut coactum vidisset, Lamiæ

Meri-

Meritrici in smegma dari jussisset Plutarch. *in Vit.* *De* JULIO CÆSARE Catullus:

---- Non parum helluatus?
Paterna primum lancinata sunt bona;
Secunda præda pontica, inde tertia
Hybera quem scit amnis aurifer Tagus,
Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ,
Quod hunc malum fovetis, aut quid hic prodest,
Nisi uncta devorare patrimonia.

CAJUS CALIGULA in histriones, equos, gladiatores & res similes, non toto vertente anno, omne istud, quod moriens in thesauris reliquerat Tiberius ad septies millies H. S. i. e. ineunte rationes Lipsio, ultra sexaginta sex Milliones & quadraginta millia Philippicorum impendit, Sveton. *in Vit. ejus* HELIOGABALUS Meretricem centies H. S. redemit, imò ne quid insaniæ deesset, in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuit, Lamprid. *in Heliogabal.* Patres Concilii Tridentini ægrè tulerunt, pecuniam per indulgentiarum concessionem acquisitam, à Papæ LEONIS X. Ministris per aleæ lusum perditam, sed & residuam in usum Magdalenæ Pontificis Sororis, Francisco Cibo Innocentii VIII. Spurio nuptæ fuisse erogatam, Thuan. *lib. 1. Histor.* Atque hæc de inutilibus & malè collocatis dicta sunto. Largitiones verò, quæ ad Dei cultum impenduntur, nil nisi lucrum ferunt. Quod enim in divinis rebus sumas, Sapienti lucro est, Plaut. *in milit.* Aurea verba sunt Gvevarræ *in horolog. Princip. lib. 1. c. 6.* Sin autem, *inquit*, ut pauperes eleemosynam accipiant & captivi redimantur, liberalitatem Princeps exerceat, persvasissimum sibi habeat, *non ideo se pauperiorem, sed locupletiorem futurum*; cùm hanc præscribat Religio Christiana regulam: Deum ministris suis plus uno die daturum, quam ipsi viginti

ginti annis (ad gloriam Ipsius) possint expendere. De AUGUSTO Imperatore Ovid. 2. *Fastor. vers.* 63.

Templorum Positor, templorum sancte Refector
Sit Superis, opto, mutua cura tui.

LUDOVICUS Galliæ Rex, quem Sanctum cognominant, 28 Collegia propriis opibus fundavit, divinamque benedictionem abunde sensit, quod per 24. annos summa cum nominis gloria, hostibus formidabilibis, amicis carus imperaverit. COSMUS MEDICES postquam in Templorum ædificationes, & in pauperum Eleemosynas regias ferè opes impendisset, solitus est dicere: Non potuisse se in suis accepti & expensi Codicibus, quibus multum in Italia Principum frugalitas tribuit, unquam reperire Deum debitorem D. Seydel. *d. Sacr. domanii jur. assert. 6. th.* 1. Idem eod. loc. judicat AMSTELRODAMENSES ex tenuioribus initiis ad tantam ideo potentiam pervenisse, quod tot pauperum millia, quemadmodum etiam reliquæ confœderati Belgii Respublicæ, fovere, & liberaliter sustentare consueverint.

POSITIO III.

Tributa Subditorum moderetur Princeps, nec onera nimia imponat Provincialibus.

Ne ærarium civium *Spoliarium* cruentarumque prædarum sævum receptaculum sit, Plin. *in panegyr. n.* 306. Augustin. *Serm.* 19. *d. C. D.* ita scribit: Apud Deum non tam exactio, quàm exactio iniqua damnatur, dicit enim Dominus: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Igitur, quod Cæsar præcipit, ferendum est, quod Cæsar indicit, tolerandum est: Sed fit intolerabile dum illud exactionis præda accumulat. Optimè TIBERIUS Cæsar præsidibus onerandas tributo provincias suadenti-

dentibus, ac sigillatim Æmilio Recto, Ægypti Provinciam obtinenti, cum is pecuniæ majorem constitutâ summam misisset, rescripsit: Boni Pastoris esse tondere pecus, non deglubere: Sueton. 33. quâ sententiâ damnat, explicante Lorichio *in apophth. fol.* 61. populivoros, qui purpurati omnia convertunt in fiscum suum, & quocunque se conferunt, ita abradunt atque spoliant, ut cum carne pellem detractam dicas. Boni verò pastores ita tondent, ut lana detonsa possit renasci; at qui deglubunt nihil reliqui faciunt, Dieteric. *in Tiber. th.* 6. Capitolinus *in Pio Cæsare*: Procuratores suos modestissimè suscipere tributa jussit, modum verò excedentes rationem factorum suorum reddere præcepit. Non ipsum arboris truncum exscindit Agricola, tametsi lignis ad usus domesticos habeat, sed ramos duntaxat amputat, nec totos illos quidem, sed ita, ut germinare possint denuo, & novis vestiri foliis, in annum sequentem ut fructus alios proferant, Saavedr. *Symb. polit.* 67. Optimè ALEXANDER apud Plutarch. inquit, odi Hortulanum, qui à radice olera exscindit. LUDOVICI Regis Galliarum ad Filiū sapientissima est adhortatio: Fili, inquit, religiosus inprimis erga Deum esto, benignus & liberalis adversus egentes, legum ac morum Imperii custos ac vindex acerrimus, à vectigalibus & tributis abstineto, nisi te summa vis necessitatis, ac utilitatis publicæ justissima causa ad hoc impellat; sin minus, Tyrannum te potius, quàm Regem futurum putato. Bodin. *lib. 6. d. Republ. c. 2. pag.* 1025. MARGRETA Norvvegiæ ac Daniæ Regina à Gothis certam pecuniæ summam pro qualibet jumentorum cauda exegit florenumque pro foco quolibet, marcam unam Stocholmiensem à quolibet conjugio, ultra gravia alia tributa, quæ singulis mensibus & septimanis extorquebantur. Joh. Magnus *l.* 21. *c.* 19. à FROTONE Daniæ Rege de singulis Corporis membris exactum est tributum, apud Saxon. Grammatic.

matic. *lib.* 6. Talis Severitas gravissimè semper à Deo punita est. Jerem. Benzo Milanois *au* 1. *livre de son histoire de nouveau monde Chapitr.* 12.16. *livre* 2. *Chap.* 2. & 10.11. & 12. Et cùm exactiones rigidæ rem Subditorum familiarem & patrimonia singulorum exhauriant, recalcitrare faciunt Subditos. Sic GALLIARUM CIVITATES rebellarunt, quod continuatione tributorum, gravitate fœnoris, sævitia & superbia præsidentium divexarentur, Tacit. 3. *Annal. cap.* 40. Quia tributorum acerbitate nihil pernitiosius, & ad inflammandos ad seditionem plebis animos accommodatius, Bodin. *lib.* 6. *de Republ. c.* 2. *pag.* 1025. De FRISIIS Tacitus *Histor.* 4. *c.* 72. Pacem, inquit, nostrâ magis avaritiâ, quàm Imperii impatientes. CHILDERICUS IV. Rex Franco Galliæ aliquandiu luxui & voluptatibus deditus, ut libidines expleret, ingentia & iniqua tributa populo conatus est indicere. Id graviter tulere Franco Galli, qui tum aspero & duro ingenio erant, itaque Regem capere & in custodiam tradere, Juvenes verò & pravos Consiliarios, quos secum habebat, ab ipsius latere & consuetudine arcere statuunt, Antimachiavellus *lib.* 3. *p.* 796. & *seqq.* FRANCISCUS I. Rex Galliæ cum in Aquitaniæ Salinis vectigal supra modum aucto pretio capi juberet, constitutis eam in rem pluribus Præfectis, Provinciales irritati, Salis in proprio solo nati liberum commercium sibi ademptum recuperare; quosdam ex Præfectis occidere, crescente indies audaciâ arma capere, & nefanda quævis perpetrare cœperunt. Ex agris hoc malum in civitates & ipsam Burdegalam, Provinciæ Caput, irrepsit, quod exitiosum quidem ipsis perduellibus, aliter tamen, quàm profuso multorum innocentium sanguine sedari non potuit, Thuan. *Histor. lib.* 5. Avaritiæ crimen LUDOVICO SFORTIÆ Mediolani Principatum abstulit, Gvicciard. 1. *Histor.* De CAROLO I. gloriosissimæ memoriæ Magnæ Britanniæ Rege

sic

sic scribit Hieronym. Imhoff *part.1. Singul. polit. Rat. Stat.* 8. Quæ quæso causa, quod maxima pars Anglorum ceu portentum aliquod oderit & execrata sit suum Regem Carolum? certè ut maximæ fidei Scriptor quidam refert, præcipua causa non fuit illa, quæ vulgò circumfertur, amor veteris Religionis, quam immutare Regem voluisse Angli contendebant, vel unica eaque tacita causa fuit, nimia Regis colligendi auri Aviditas, & subinde novis tributis exagitata populorum patientia. Anxius enim Rex de gravissimo ære alieno, quod partim pater JACOBUS, partim ille ipse, ex causa Rupellanorum, & Expeditionis Hispanicæ conflaverat; cum illi eluendo succurrere subditos jussit, iique voluntariis collectis paruisſent, Rex illa extraordinaria onera postea cœpit mutare in annua & perpetua, vino, tabaco, carbonibus, smegmati, & id genus aliis in Angliam deportatis rebus, certam pecuniæ summam imponendo, adeo ut reditus suos annuos, ad quingenta millia librarum sterlinarum ascendentes, usque ad octoginta & amplius auxerit. Cum ita contentus esse poterat Rex, novam exactionem excogitat, omnibus ædibus, quæ vel intra vel extra Civitatum suarum mænia erant, certum eùmque gravem censum imposuit, nec adhuc pedem figit, verùm provinciæ Essexiæ litem movet, quasi ad patrimonium Regis pertineret, de qua cum non contemnendam auri summam ad redimendam litem emunxisset, & aliæ plures provinciæ eandem sibi aleam subeundam esse timerent, odia & Nobilitatis & populi subitò incurrit, quæ, cùm exciperet innovandæ Religionis periculum, illas contentiones, illas offensas, illam denique ignominiosam mortem, quam tota adhuc Europa meritò luget, infelicissimè sibi attraxit. Quæ quæso causa, quod anno hujus seculi 47. potentissima Italiæ Urbs NEAPOLIS summa imis miscuerit? Certè nulla alia, nisi

nisi acerbissimorum tributorum rigidissima exactio, Imhoff *d. l.* Ratio Status igitur est, crebriora exigere tributa, quàm rariora, sed nimia. Ad GENUENSES à LUDOVICO SFORTIA cùm venisset Legatus, qui magnam pecuniæ summam posceret, tum summus quidam Vir opiparo exceptum convivio, ut omnino delicatè haberet, in hortum quoque deduxit. Cum igitur spatiantibus in horto occurreret herba, qui *Basilicus* dicitur, tum Legato ille: Domine, inquit, hanc herbam leviter tracta & olfac; Cui cum morem gessisset Legatus svaveolentem herbam deprehendit. Rursus Legato Genuensis: herbam manu jam comprime & olfac; quod cum ille fecisset, odorem injucundum admodum & insvavem sibi afflari professus est. Hîc tandem Genuensis Legato: Domine, inquit, si Dux Ludovicus molli suæ potentiæ manu hanc Urbem tractet, lætam & obsequentem inveniet; si illam fortius premat, ingratum rebellionis & impatientiæ odorem haud dubiè sentiet, Chokier *lib. 2. polit. Thesaur. cap.* 10.

POSITIO IV.

Princeps Annonæ prospiciat, ut justo tempore advehatur & Subditis vendatur.

Annonæ enim quanta copia & cujus generis Civitati sufficiat, intelligendum est, quæ illic nascantur, quæq; aliunde importentur, quarumque rerum vel exportatione egeant vel invectione, ut cum illis populis pactiones fiant, Aristot. *lib.* 1. *Rhetor. cap.* 4. In omni Urbe extruantur omnisque generis fructibus ornentur GRANARIA Kornhäuser/ex quibus tempore necessitatis succurri possit annonæ, Hippol. à Collib. *tract. d. Urb. Increm. cap.* 21. Exemplo JOSEPHI in Ægypto & Apostolorum in actis. AUGUSTUS annona populum pellexit, interque alia dominationis arma sepoluit

Ægy-

Ægyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris quamvis levi præsidio adversus ingentes exercitus insedisset. Plinius *in Panegyr. p.* 231. POMPEJO annonæ cura non minus addidit gloriæ, quàm pulsus exercitus campo, exactus hostis mari, oriens triumphis occidensque lustratus Plin. *in panegyr. n.* 231. Ælianus Lampridius *in Commodo* imperata utrique Provinciæ (Africæ & Ægypto) tributa frumentaria, ut si cessasset classis Africana, subsidio esset. TIBERIUS, ne plebs acri annona fatigaretur, infœcunditati terrarum, aut asperitati maris obviam ivit, quantum impendio & diligentia poterat, Tacit. 4. *A.* 6. 9. COSMUS superior Medices, cum Johannem Annibalis F. Bentivolum ad Bononiensem Principatum capessendum dimitteret, inter cætera Reipublicæ gerendæ præcepta tria hæc præcipua dedisse dicitur: *Annonæ curam sedulò ageret: Omnibus nullo discrimine jus diceret: ab alienis Uxoribus abstineret.* Joan Baptist. Pigna *VII. Histor. Atestin.* Forstn. *ad Tacit. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 3. Cum anno 1602. propter grandines imbresq; crebros magna esset timenda difficultas, LUDOVICUS Senior Hassiæ Landgravius felicissimæ recordationis in Procerum consessu affirmavit: Si contingeret fato, ut in tota Cattorum ditione triennii spatio sterilitas esset expectanda; Se non tantùm suæ Regioni, sed & Hassiæ universæ de re frumentaria abundè prospecturum, Lather. *lib.* 3. *d. censu cap.* 7. *n.* 105. Besold *d. Ærar. cap.* 1. *thes.* 2. Potest prohiberi, ne frumentum vendatur extra territorium, non ut exteri amici lædantur, sed ut patriæ ubèrtas conservetur, Klock. *d. Contribut. c.* 1. *num.* 354. Sæpius enim tumultus in civitate vitari possunt venditione frumenti: quia fames plebem ad interitum Reipublicæ moliendum irritare potest. Sic in Urbe NORICA temporibus Caroli IV. Imperatoris Cives pauperes insurrexére contra Senatum & Divites, Piccart. 5. *Polit. cap.* 7. *p.* 733. Felvvinger *d. caus. Aristot.*

conservant. lib.22. Exploratores Custodesq; constituendi sunt, qui ad omnes portus limitesque assidui legum annoniarum temeratores observent, puniendosque Magistratui deferant, Forstn. *ad Tacit. Annal. lib.12.*

POSITIO V.

Negotiationes tàm maritimas, quàm terrestres suscipi & exerceri expedit Principi.

De mercatura & Mercatoribus LUDOVICUS XIV. Galliarum Rex modernus ita disserit: Mercatura optimum remedium est populos diversissimos, animosque maximè alienatos, reconciliandi & inveniendi, inopemque ratio Rempublicam ditandi, Imperia Regnaque omni rerum abundantiâ replendi, Relat. Vernal. *d. anno* 1670. *p.*39. Vectigalia enim exinde solvuntur magnique hauriuntur proventus. ALEXANDER SEVERUS braccariorum, linteonum, vitriariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum vectigal pulcerrimum instituit, Lamprid. *in Alexandr. Sever. c.* 24. AURELIANUS ex Ægypto Urbi Romæ vectigal vitri, chartæ, lini atque embolicas species æternas confecit, Vopisc. *in Aurel. c.* 45. In BELGIO FOEDERATO vectigal pannorum, quibus aurum intextum est, adeoque omnis serici, constat nummo duodecimo in singulas ulnas, adeò, ut si ulna serici vendita sit florenorum duodecim, unus Reipublicæ cedat. Et pro deaurato corio, aliisque similibus mercibus solvendus est nummus pretii, quô æstimatum, hoc est, novem florenorum nomine unus. Comment. *de stat. Belg. Confœderat. p.* 119. Chartæ lusoriæ solvunt in Regno NEAPOLITANO non leve vectigal; quod viginti aureorum millibus locatur, Autor Thesaur. polit. *in relat. d. Regn. Neapolit.* quod tributum *anno* 1578.

Nea-

Neapoli fuit impositum, ut scilicet unusquisque novum chartarum genus fingens solvat Regi unum Carolinum, Magiser *in Deliciis Neapolit. p.*234. DANIÆ REGI in freto Sondano uberrimum portorium penditur, Cluver. *lib.* 3. *Introd. Geograph. cap.* 19. Fas tamen est, Exteros gravius censeri, quàm Subditos; Sic apud TURCAS de mercibus Alexandrinis peregrini decem, Subditi verò quinque duntaxat pendunt. In ANGLIA quadruplo amplius Exteri, quàm Subditi dependunt, Boter. *lib.* 7. *polit. Illustr. c.* 4. Ipse SOLON mercaturam exercuisse scribitur, Cic. *in Bruto.* Quis JOSEPHUM reprehendat, qui magnam ex divendito frumento pecuniam in ærarium Regis intulit? *Gen. cap.* 47. SALOMON cum Rege HIRAM maritimæ mercaturæ operam dedit; Cùm Regia classis per mare cum Classe Hiram tantum semel per triennium iverit in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes Elephantorum & simias & pavones, 3. *Reg.* 10. 22. *&* 28. RUDOLPHUS Bohemiæ Rex Alberti Cæsaris Filius negotiatione sua æs alienum ingens, quod Wenzeslai Reges contraxerant, feliciter dissolvit, *lib.* 19. *Constit. Bohem.* LUSITANIÆ Reges cum angustis Regni finibus continerentur, nec jura Majestatis satis commodè tueri, nec Subditos rodere vellent, mercaturam abundatissimam sine contumelia ac Majestatis suæ deminutione exercuerunt D. Dietherr *ad Besold. Thesaur. pract. voce* Kauffleut. VENETI, GENUENSES, LUCERNES, ANCONITANI & FLORENTINI commerciis beatitudinem suam metiuntur, Sigism. Scaccia *d. Commerc.* §. 1. *quæst.* 7. *part.* 3. *limit.* 17. *num.* 22. Uti & HOLLANDI, Simon à Gronevvegen *d. leg. abrog. in Holl.* VENETI triremes publicas amandare solent allatum aromata; quæ Alexandriæ primum coëmpta, deinceps in Anglia, Flandria alibique magno Reipublicæ bono venduntur, Francisc. Gvicciardin. *lib.* 6. *Histor.* LUSI-

TANI Reges Lisbona regia urbe, mari ad remotas illas partes miserunt, & cum CALICUTIO, & aliorum locorum Regibus in Indico mari societate contractâ, deinde paulatim ad interiora loca penetrantes, arcibusque temporis progressu extructis in locis opportunis, & nonnullis ejus Regionis fœdere sibi adjunctis, aliis verò armis Imperio suo parere coactis, aromatum, quæ antea *Alexandrini* Mercatores habere solebant, negotiationem in se transtulerunt; eaque navi in *Lusitaniam* vehentes ad eadem loca, ad quæ *Veneti* mittere solebant, navibus ipsi suis mittunt. Hac ratione opibus incredibilibus Regnum auxerunt, ait post Osorium Sabell. 19. *in Suppl. Hippolit. à Collib. in prin. cap.* 35. add. Joh. Boter. *d. Rat. stat. lib.* 8. Barlæ. Brasil. *p.* 6. *&* 7. De Modis augendi Ærarium ex Mercatura vid. D. Joh. Joachim. Bechers Politische Discurs von der eigentlichen Ursach des Auf- und Abnehmens der Städt/Länder und Republicen.

POSITIO VI.

Ex Agricultura amplissimæ Fisco fiunt accessiones.

Optima hæc sunt Reipublicæ incrementa, quorum Oeconomica quædam Michael Meyer annotante Raremundo in præfatione Hammonæ versiculo huic Mythologico inclusit:

Anser, Apis, Vitulus, Bombyx, Ovis, Ostrea, Linum,
Mercurius, servant totius orbis opes.

De Agricultura præcipere Principale fuit & apud Exteros. Siquidem & Reges fecêre, HIERO, PHILOMATOR, ATTALUS, ARCHELAUS; & Duces XENOPHON & pænus etiam MAGO. Plinius. CATO procemio de re rustica ad filium: Virum bonum cum laudabant, ita laudabant: bonum Agricolam bonumque Colonum videri; REGULUS Serranus

nus dictus, cum ad imperium populi Romani suscipiendum vocaretur, ferens in Agro inventus est, Valer. Max. *lib.4.cap.4.* Unde Plinius ipsum Triumphalem Aratorē vocat, *lib.18.cap.3.* Potissimæ divitiæ & opes, terræ fructus sunt. Norant id ÆGYPTII, qui sceptrum sic efformabant, ut infernè in vomerem aratri desineret, volentes innuere, in eo potissimum potentiam illius & amplitudinem consistere, Saavedr. *Symb. polit. 69.*

POSITIO VII.

Ex aurifodinis, quas habet Princeps, inculpabile lucrum accipitur.

Aurum per bella quærere, nefas; per maria, periculum; per falsitates, opprobrium; in sua verò natura, justitia, ait Rex ATHALARICUS apud Cassiodorum *lib.9. var.3.* ROMANOS ex Argentifodinis Hispaniæ singulis annis noningenta duodena millia & quingentos aureos percepisse ex Budæo refert Camerar. *Cent. 1. Medit. Histor. 81.* Reditus REGIS HISPANIÆ ex Indiis ordinarios ultra decem Milliones numerat Lucas de Linda *in Descript. Hispan.* Divitias argenti fodinarum Misnicarum Petrus Albing in der Meißnischen Berg-Chronick *tit. 4.* ex Melanchtone notat, quod ab *anno* 1471. ad annum 1550 ex venis Schnebergensibus distributi sint iis, qui venas coluerunt impensis suis 123355 tonnæ auri, tantundem quoque solutum iisdem de signatione argenti von Schlägelschatz Besold. *in Thesaur. pract. voc.* Bergwerck. HENRICUS Thuringiæ Landgravius circa annum Christi 1227. è fodinis metallicis eam vim argenti & auri comparasse fertur, ut Bohemiam omnem inaurare ac mercari potuisset, D. Dietherr *ad Besold. d. l. in addit.*

POSITIO IIX.

Ne ex re sordidâ quæstus petatur.

Indignum Rege est: Lucrum ex omni occasione odorari. Ammian. 22. Malè audiunt VESPASIANUS, quod tributum ex urina fuerit commentus, Sveton. *lib.* 8. CALIGULA & HELIOGABALUS pro litibus atque judiciis ubicunque conceptis quadragesimam Summæ, de qua litigarentur, exigebant, Sveton. *cap.* 40. Iste Diis suis Nuptias faciebat, ut iis pro dote pecuniam elaboraret, Herodian. *in vit. ejus.* SIXTUS IV. Pontifex Caligulam imitatus, famosum Romæ extruxit lupanar, ut meretricio quæstu infame lucrum caperet. Idem INNOCENTIUS IIX. & ALEXANDER VI. fecere, Volateran. *lib.* 22. Tempore PAULI III. anno 1542. Hieronymus Marius in Eusebio captivo Romæ numerat 4500. Scorta, quæ Pontifici annuatim 30000 aureos pro lupanari & lactis vectigali solverunt. D. Gerhard. *in loco de Eccles.* In HISPANIA aliquando tolerata fuisse ejusmodi lupanaria, ex quibus ærario Regiæ factæ sunt accessiones, legibus in eam rem à PHILIPPO II. Rege, anno 1571. Madriti promulgatis, quas refert Joh. Mariana *de Spectac. c.* 17. Talia vectigalia imperare nec Purpuræ nec Mithræ decori est, Lansius *consult. contra. Ital. p.* 830. Adversus ejusmodi lupanaria, ex quibus haud exiguum quæstus fuit quæsitum, graviter invehitur Claudius Espencæus *d. Stat. Vid. lib.* 3. *cap.* 4. add. Balthas Meisn. *in Consultat. de fid. Luther. capess. advers. Leisium, pag.* 144. Goldast. *tom.* 2. *Constit. Imperial.* Lamb. Danæ. *lib.* 2. *Ethic. Christian. cap.* 15. *fol.* 242. DE SIXTO V. Annales referunt, illum à tributis nihil immune reliquisse: Unde PASQVINUS indusium soli exiccandum exposuit, metuens, ne à Beato Patre Sol venderetur, vel ipsius radiorum usui magnum imponeretur vectigal, D. Lebleu *Differt. de augend. Republ. th.* 78. Sordidum quoque est ex *ambitu Magistratuum* quæstum capere: quemadmodum in GALLIA jamdiu egentium virtutes ab honoribus publicis pervicax licitatio

exclusit, Parthen. Litigios. *cap.* 12. *n.* 7. adde Barclaj. *Icon. anim.* *c.* 3. qui nundinationem istam acutè perstringit. In regno HISPANIAE nundinationem officiorum tantas radices egisse refert Petr. Matth. *tom.* 3. *historiar.* ut Los Agaziles, id est, Latrunculorum praefecti quinque vel sex millia, & Los Escrivanos, id est, Scribae publici viginti quatuor millia ducatorum pro impetrandis expendant officiis. D. Lebleu *d. instruct. fuc. consil. disp.* 2. *thes.* 7. add. Friccius *lib.* 1. *d. Emend. Republ. c.* 18. *n.* 2. & 3. infra *Cap. XI. d. Aula Posit. VI.* Euphormio *in Scone Animorum cap.* 3. Sic Praesidum Parlamentorum numerus septenarius est, quorum dignitates & munia, excepto unico, (du premier Praesident,) à Rege venduntur, & hodie millione florenorum comperantur, Imhoff *d. Rat. stat* 36. Nefandum est *pro fide* imponere tributum; PAULUS III. anno 1524. Pontifex creatus, cum CAROLUM V. Algiram proficiscentem salutassent duo Reges COCH & THAMAZIRUS, quaerentes baptismum, Christianae fidei avidissimi, tributum imposuit, quo Reges perterriti, in antiquâ Religione manserunt, Lebleu *d. l. thes.* 80. Ut tamen exhaustum reficiatur aerarium, Honores habere venales pro *Ratione Status* haberi volunt. Bodin. *lib. 6. de Republ.* ait: Omnium sordidorum Mercaturae generum, quae multa ac varia sunt, nullum sordidius, nullum turpius, nullum detestabilius Magistratuum & honorum mercaturâ; quae nunquam tolerabilis esse potest, nisi extremis temporibus, ut saluti Reipubl. consulatur; quo Venetos Reipubl. calamitates adegerunt, ut honores & Imperia proscriberent, Ludovico Francorum Rege gravissimis bellis premente: nam totos septem annos publicis rationibus paulo minus quater millies expensum tulerunt; cujus summae decimam fere partem ex honorum Mercatura quaesiverunt: Vigesimo post anno FRANCISCUS MAJOR Rex Francorum praeturas urbanas Imperii

perii bifariam divisit,& utrasque proscripsit,ac sensim cætera quoque venalia fuerunt. De CLEMENTE VII. refert Gregor. Pontifex quod infestatus ab exercitu Caroli IX. tres purpureos galeros plus danti vendiderit. De LEONE X. Onuphr. Panvin. pecuniæ quærendæ causa pretio Cardinales aliquot legit, & officia quædam venalia excogitavit. add. Joh. de Magdalena *lib. 2. polit. c.* 3. Jacob. Aug. Thuan. *histor. lib.* 1. SENATUS VENETORUM quomodo sumptus belli adversus Maximilianum Imperat. concessione munerum coegerit vid. Bembum *lib.* 10. *&* 12. *Histor. Venet.* de Munerum nundinatione vid. Joh. Casus *lib. 2. Sphæræ Civitat. cap.* 9. Vasqv. *illustr. quæst. lib.* 1. *cap.* 43. Scipio Amirat. *lib.* 3. *Dissert. polit. in Tacit. disc.* 8.

POSITIO IX.

Domania seu Fundi Patrimoniales diligentissimè curentur, neque facilè ære graventur alieno.

Bona Reipubl. quæ data sunt Principi pro dote, âd onera ferenda, exemplo rerum dotalium, tanquam Sponsus ea distrahere non potest, nisi consentiente populo, & si iterum in aliam rem æquè utilem vel utiliorem versa fuerint, cujus verum Dominium Republ. tanquam Uxori remaneat, ususfructus autem Principi & Civile dominium, Anton. Fab. *in C. for. dec. d. Rei Vindic. defin.* 11. *n.* 4. Petr. Gregor. Tholosan. *lib.* 3. *d. Republ. c.* 8. §. 4 Hotoman. *Illustr. quæst.* 1. Paris d. puteo *in Tract. d. Syndic. rub. d. Excess.* GORELLA ORCILIUS Ladislai olim Neapolitani Regis ærarii Præfectus nullum ab hoste nocentius consilium proficisci arbitratus est, quàm post infamem profusionem oneribus inconsvetis posteritatem ad miseriam & mendicitatem adigere D. Seydel *d. sacr.*

Doman.

Doman. jur. assert. 2. th. 3. posse tamen regni Domania usurpatâ à prudentioribus redhibitionis cautelâ distrahi, vid. *Papon. lib. 5. Rhapsodiæ arrest. tit.* 10.

POSITIO X.

Ærario præficiantur Ministri fideles ac prudentes, non rigidi exactores.

Circumspectione opus est, ne tenuiores nimium præ divitibus premantur vel exagitentur. Quod fieri solet ab iis, qui pretio emerunt officia, cùm enim ista venum licitantibus exponuntur, Ordo regni evertitur, Tholosan. *d. Republ. lib. 2. cap. 6. num.* 17. Negotiatoribus sit Præfectus comis, mercatoribus justus, Civibus liberalis, Sociis abstinens & in officio diligentissimus, prout Cic. loquitur *in Orat. pro Planco.* in omni procuratione publici muneris cavendum est, ut avaritiæ pellatur etiam minima suspicio Arist. 5. *polit.* 8. Habere quæstui Rempubl. non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium, Cic. *lib. 2. off.* Exulent astuta & improborum consilia Subditorum sanguini inhiantia, *proverb.* 17. *v.* 5. Dolus versipellium Scribarum varius est, dicente Besoldo. Nazianzenus elegantissimè dixit; rapere multos, qui præsunt Briarei manibus, ex facultatibus publicis. Scitis, quod Poetæ fingunt, Briareum fuisse gigantem, qui habuerit centum manus. Richter. *axiom. polit.* 377. Noti sunt Germanorum Versus:

Rentmeister und Jäger/
Förster und Pfleger/
Ein Schultheiß und Procurator,
Ein Verwalter und Curator,
Haben nicht grossen Lohn/
Und werden doch bald reich davon/

Rath/wie mag das zugahn/
Ihre Renck versteht nicht iederman.

Avaritia præfectorum pacem exuit populi, Forstner. *ad Tacit. cap.* 32. *&* 45. CLAUDIO Cæsari de Fisci exiguitate querenti quidam non absurdè respondit abundaturum fiscum, si à duobus Cæsaris libertis Quæsturâ ornatis, *Narcisso* & *Palante*, ille in consortium reciperetur. RUFFINUS cùm jam jam acclamandus esset Imperator, plenus sævitiæ lucrique cupidinem ferens, subitò occisus, & manus ejus ostiatim circumgestata fuit, quasi obolum mendicans: nam ejus nervi petendo remittebantur, accepto obolo, ut clauderentur, attrahebantur. Hieronym. *in Epist.* Venustissimum quoque est, quod refert Besold. *in Tract. d. Ærar. n.* 2. Cum aliquando coram Pontifice de pecuniæ conficiendæ rationibus fieret consultatio, quidam Cardinali, quod novarum Contributionum autor crederetur, parum æqvus; equidem, inquit, nullam ego meliorem citra omnem Subditorum injuriam imò cum ipsorum gaudio colligendæ pecuniæ rationem noverim, quàm ut ARMELLINO (id Cardinali nomen erat) pellis detrahatur, & per ditionem circumvehatur. Neque enim dubito, quin Subditi pro ea saltem inspicienda stipem ultrò sint collaturi. REGES GALLIÆ olim ultimo affecerunt supplicio scelestæ fidei exactores, Chokier *in Aphorism. polit.* FRIDERICUS Elector Saxoniæ, cùm de ampliore constituendo Quæstoribus salario admoneretur, referente Melanchtone *in Expl. Evangel. Dom. 9. post Trinit.* respondisse fertur. Ego libenter vellem eis certa & fixa stipendia constituere, si certum esset, eos non ampliùs velle furari.

CAP.

CAPUT SEPTIMUM
DE
OECONOMIA SUBDITORUM.
POSITIO I.
Divitiæ Subditorum ſunt Opes Principis.

Reipublicæ intereſt, divites habere cives, & ne quis malè utatur, Rebuff. *ad Conſtit. Regn. Gall. tract. d. pann. aur. & argent. princ. num.* 22. Unde CONSTANS Imperator dicere ſolebat; Opes publicas melius â privatis pluribus haberi, quàm intra unum Principis clauſtrum reſervari, Eutrop. *lib.* 2. *c.* 1.

Wenn aber die Unterthanen verderben/
Kan der Herr von ihnen nichts erwerben.

Adam Keller *d. offic. jurid. polit. lib.* 2. *c.* 8. Idem eſt, quod habet Antimachiavelli Autor *lib.* 3. *Theor.* 32. Scilicet Principis theſauros in Subditorum pecuniis & loculis reconditos ac ſitos eſſe, ſatius eſt, quàm in publico ærario: & danda erit opera Principi, ut Subditi tuta pace & tranquillo otio perfruantur & diteſcant; Urbibus ſua libertas, ſua jura & commoda ſerventur, libera ubique ſint commercia, agricolæ immodicis tributis leventur. CAROLO IV. Imperatori Pragenſis quidam *Mercator* centum aureorum millia mutuo dedit, Eumque poſtridiè invitavit ad prandium, cumque potioni locus eſſet, chirographum in catino aureo reddidit, ac ſtupentibus ob novum miraculum convivis dixit: O Cæſar, fercula hæc communia tibi cum cæteris fuêre Optimatibus, hoc Tui ſolius erit: Nam aurum, quod mutuavi nudius tertius, Tibi dono, debitumque remitto, D. Lebleu *de Republ. augend. th.* 48. Subditorum autem opibus nihil magis adverſatur,

ſatur, quàm ſumptus non neceſſarii & luxus, qui tamen omnes ſunt comprimendi, Fr. Senen. *d. Instit. Reipubl. lib.* 5. *tit.* 10. Quapropter PHILLIPPUM PULCHRUM, HENRICUM IV. Galliarum Reges & CAROLUM V. Imperatorem laudat Joh. Chokier *Theſaur. polit. lib.* 5. *cap.* 19. quod luxum Reipubl. peſtem, per leges ſumptuarias coercuerint. Dolemus cum Lipſio *lib.* 4. *Civil. doctrin. cap.* 11. & Cicerone *lib.* 5. *de Republ.* in noſtris Rebuspublicis *Cenſores*, tanquam Magiſtratum moribus ac vitæ utilisſimum, adeo abſoletum perſpici, ut non modò non colatur, ſed fermè quoque ignoretur. De CORINTHIIS GRÆCIS Diphilus in Mercatore *lib.* 6. *c.* 2. & Athenæus *lib.* 4. *Deipnoſoph. c.* 20. *& lib.* 5. *c.* 2. hæc tradunt juxta verſionem Eraſmi:

Hoc lege cautum eſt hic apud Corinthios:
Si quenquem obſonare ſemper ſplendidè
Videmus, hunc rogamus, unde vivat, &
Quid faciat operis, ſi facultates habet,
Ut reditus harum ſolvere expenſas queat,
Perpetimur illum perfrui ſuis bonis;
Si forte ſumtus ſuppetat ea quæ posſidet,
Prohibemus huic, ne faciat hoc impoſterum,
Ni parcat, jam plectitur mulcta gravi.
Sin ſumtuosè vivit is, qui nil habet,
Tradunt eum tortoribus. Proh Hercules!
Nec enim vitam absque malo ullo degere
Talem ſcias, ſed eſt neceſſe aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantum jungier commercio,
Aut in foro agere Sycophantam, aut perfidum
Præbere teſtem. Nos genus hoc mortalium
Ejicimus hac ex urbe, velut purgamina.

Eſt tamen *Ratio Status*, Subditorum nimiam abundantiam

&

& divitias cohibere atque minuere, ne ex potentiâ & faſtu Rebellioni detur locus, vid. Dn. Felvvinger. *Diſſertat. d. modis attenuandi parentium potentiam.*

POSITIO II.

Luxus in veſtitu Fundi calamitas eſt.

Veſtium luxuria & conviviorum ægræ civitatis indicia ſunt, Sen. *Epiſt.* 125. Et plerumque iſtam ſequitur Paupertas. Namque Dites olim familiæ Nobilium aut claritudine inſignes ſtudio magnificentiæ prolabebantur. Tacit. *lib.* 3. *annal. cap.* 55. Aſpice illos juvenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria projecit. Senec. *epiſt.* 99. Coguntur quippe ob pannos pretioſiores pretio magno emptos, immobilia vendere, furari, vel dolosè negotiari, qui talia veſtimenta ſupra dignitatem facultatum appetunt, Petr. Gregor. Tholoſan. *lib.* 4. *d. Republ. cap.* 11. Et lautioris fortunæ homines, ne inferiores aliis videantur, omnem ferè ſubſtantiam in veſtitus luxu conferunt, Otto Caſman. *in tract. Mundus immundus cap.* 30. Ancillæ ipſæ, ait Martin Schoock *de veſtibus & lux. circ. eas exercit.* 25. §. 6. curti ſui cenſus ignaræ, filiasfamilias æmulari ſtudent, atque Hæ patrimonium inſtar Biantis ſecum portant, parentes comedunt, obſtrictis eorum nominibus non modò Mercatoribus pannariis, verùm ſartoribus quoque & comptricibus, à quibus quotidiè ſecundum omnigenos modulos deformantur, cùm ſe ornari quàm cultiſſimè exiſtimant. Aſt ſi hac ratione privatum parvum redditur, quomodo commune magnum eſſe poterit? Apud ROMANOS luxus erat circa Monilia & Margaritas; Inde Tertullianus *de Habitu Muliebri:* Uno lino *decies ſeſtertium* inſeritur, *h.e.* quinquaginta millia florenorum; & porro: Saltus & Inſulas tenera cervix fert, *h.e.* pretia ſaltuum & Inſula-

rum. Vestes in uno convivio ad ostentationem mutabant, quod perstringit Martial. 4. *Epigram.* 81.

Undecies unâ surrexti Zoile cœnâ,
Et mutata tibi est Synthesis undecies.

De luxu isto Claudian. *lib.* 2. in Eutropium:

Vestis odoratæ studium, laus maxima risum
Per varios movisse sales, minimeque viriles
Munditiæ, compti vultus, onerique vel ipsa
Serica.

Hac tempestate mores Gallicanos omnes penè dixerim Nationes ineptè imitari nemo negat; Thomas Morus festivè describit *Lalum*:

Amicus & Sodalis est Lalus mihi,
Britanniaque natus altusque Insula.
At cum Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingva, mores dirimant,
Spernit tamen Lalus Britannica omnia,
Miratur expetitque cuncta Gallica,
Amatque multum Gallicas Lucernulas,
Zona, Locello atque ense gaudet Gallico,
Et calceis, & subligare Gallico;
Nam & unum habet Ministrum, eumque Gallicum,
Sed quem, licet velit, nec ipsa Gallia
Tractare quiret, plus (opinor) Gallicè
Stipendii nihil dat, atque id Gallicè.

Verùm juxta Propert. *lib.* 2. *Eleg. ad Cynthiam*

Quid juvat ornato procedere vita capillo;
Et tenues Coä veste movere sinus.
Aut quid Orontea crines perfundere myrrhâ:
Teque peregrinis vendere muneribus.
Natūræque decus mercato vendere vultu:
Non sinere in propriis membra nitere bonis?

Crede

Crede mihi, non ulla tuæ Medicina figuræ est:
Nullus amor formæ, non amat Artificem.

Teutschland hat mit seinem Schaden/
O der grossen Raserey!
Frembde Kauffleut eingeladen/
Daß es ja bald Geld-arm sey/
Frembde Wahren/ welche leider/
Bringen nichts als frembde Kleider/
Dadurch wird die Teutsche Welt
Reich an Hoffart/ arm an Geld.

D. Becher *d. tract. cap.* 9 *pag. mih.* 147. DEMONAX cuidam, qui purpura indutus sese insolentius ostentabat, in aurem dixit: Heus tu, hoc ante gestabat ovis: Significans, illum nihilominus stupidum esse, si portaret purpuram, Erasm. *lib.* 8. *apopht.* Nicol. Burgundus elegia ad Danielem Heinsium vanitatem luxus in Flandris suis non minus graviter quàm eleganter indignatur; vid. erudit. Dissertation. *De eo quod justum est circa vestitum Civium habit. Jenæ anno* 1675. sub Præsidio Magni JCti D. Georg. Adami Struvii Respond. Dn. Joh. Osterloh. *thes.* 64. Ergo ad coërcendum istum luxum Senatus Romanus atque Imperatores varias leges tulerunt. Lata est LEX OPPIA, quam sanxit C. Oppius Tribunus plebis, Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Gracho Coss. *anno ab U.C.* 540. Ne qua Mulier plus Semunciâ auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, neu juncto vehiculo in urbe Oppidôve, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur, Petr. Gregor. Tholosan. *d. l.* TIBERIUS Edicto vetuit, ut neque Ipse, neque alius quisquàm sericâ veste uteretur, ornatumque aureum universum solis Mulieribus permisit. Plin. *panegyr.* 3. Joannes Antiochenus

nus *in Excerptis Peirerscianis pag.* 801. THEODOSIUS AUGUSTUS immodicum & fidem excedentem luxum *in l.* 4. *C. d. Vest. holoser. & aurat. & d. tinct. sacr. muric.* coercuit: Temperent, inquit, Universi, cujuscunque sint sexus, dignitatis, artis, professionis, & generis ab hujusmodi speciei possessione, quæ soli Principi Ejusque Domui dedicatur: nec pallia quis tunicasq; domi sericas contexat, aut faciat. Quæ tincta conchylio, quæ nullius alterius permistione contexta sunt: proferantur ex ædibus, tradanturque tunicæ aut pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylii. Nulla stamina subtexantur tincta conchylio, nec ejusdem infectionis arguto pectine solidanda fila decurrant: reddenda ærario holobera vestimenta virilia protinus offerantur. Nec est, ut quisquam de abjurato pretio conqueratur: quia sufficit calcatæ legis impunitas. JOANNES DUCA Imperator Orientis decreto sanxit, ne quis Subditorum uteretur vestibus Assyriis, Babylonicis, Italicis, variisque artificiis confectis, ut & sericis; nisi is, quisquis esset, cum omni familia in ordinem cogi, ac notari ignominia vellet, sed his contenti essent, quas Romanæ provinciæ aut manus præberent, Niceph. Gregor. *lib.* 3. *Histor. Byzant.* Omnium tamen optimè Princeps luxui medetur suo exemplo. Ita Forstnerus *ad Tacit. Annal.* Quanquam ea inveterati mali vis est, ut mediocribus remediis sisti non possit; Attamen Principis exemplum fortassis validius esset, quàm pœna ex legibus & metus. Ita flexibiles quamcunque in partem ducimur à Principibus, atque ut ita dicam sequaces sumus, Plinius *in Paneg.* & Thomas Morus *in Utopia* rectè dixisse videtur; à Principe bonorum malorumque torrens in totum populum velut à perenni quodam fonte promanat. En morbum, Tiberii judicio, validum & omni medicinâ fortiorem VESPASIANUS sustulit, non pœnis, non legibus, sed suo exemplo: antiquo ipse cultu victuq;

ctuq; usus est, obsequium inde in Principem & æmulandi excitit amor. AUGUSTUS veste non temerè aliâ, quàm domesticâ usus est, ab Uxore & Sorore & Filia Nepotibusq; confectâ: togis neq; strictis, quales solebant esse perparcorum, neq; fusis, quales distinctorum & nepotum, Sveton. *in Aug. c.* 73. ALEXANDER SEVERUS Imperator suo exemplo magnos viros à luxu; Ejusque Uxor similiter nobiles Matronas abstraxit, Lamprid. *in vit. Ejus.*

POSITIO III.

Conviviorum luxus excutit loculos.

Proverbium est Germanorum: Allzeit Naschen/macht leere Taschen. Lucanus 3.

—— —— O prodiga rerum
Luxuries! nunquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum terra, pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ:
Discite quàm parvo liceat producere vitam,
Et quantum Natura petat.

Antiqui, teste Servio *ad I. Æneid.* in atrio & duobus ferculis epulabantur. Et sanè si ad naturam vives, nunquam eris pauper: Si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum Natura desiderat, Opinio immensum, Senec. *in Epist.* 16. AGESILAUS, sciscitante quodam ab Eo, quid Spartæ fructus attulissent Lycurgi leges? Voluptatum, inquit, contemtum: videlicet indicans, non alia magis re nasci Reipublicæ corruptelam, quàm ex deliciis, Plutarch. *in Lacon* Quemadmodum luxus in causa fuit, quod facilè Babylon à Dario capta sit, teste Herodoto, *Belsazare* convivia cum Principibus & Nobilibus suis magnificentissimè celebrante, Georg Richter *in axiom. polit.* 15. Luxus apud PERSAS conspiciebatur. Hi

lautè cœnabant, integra & multa & varia apponentes: lecti, poculorum ornatus splendidissimus auro & argento refulsit, Strab. *lib.* 5. ROMANI Vasa coquinaria argentea habebant Plin. *lib.* 33. *c.* 3. *& c.* 11. Candelabra & Lucernæ argentea fuerunt, magnoque constiterunt pretio, Plin. *lib.* 34. *c.* 3. ædiciales cœnæ tricies Sestertio frugalissimis Viris constiterunt; quæ summa, Meursio computante, centum quinquaginta millia florenorum facit, Senec. *Epist.* 122. Maximè insignis, ait Plin. *lib.* 10. *c.* 51. in hoc est memoria CLODII ÆSOPI Tragici Historici patina D L. H. S. taxata, in qua posuit aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, nulla aliâ inductus svavitate, nisi ut in his imitationem hominis mandaret. Luxus VITELLI hanc patellam longè superavit, quæ decies Sestertium constitit, Plin. *lib.* 35. *c.* 12. quam etiam ob immensam adeò magnitudinem *Clypeum Minervæ* appellârunt, Salmuth *in Pancirol. lib.* 1. *p.* 531. Sordent cibi patrii & conqviruntur Pavus è Samo, Phrygia attagena, grues Melicæ, hædus ex Ambracia, pelamis ex Chalcedonia, muræna Tartessia, aselli Pessinuncii, ostrea Tarentina, pectunculus Chius, elops Rhodius, scari Cilices, nuces Thasiæ, palma Ægyptia, glans Hiberica, uti tales exquisitas ciborum delicias Romanis usitatas ex Varrone refert Agellius *lib.* 7. *noct. attic. cap.* 16. *& lib.* 15. *cap.* 8. D. Zigler. *d. Jur. Commercior. thes.* 61.

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato;
Quod non sunt faciles, at albus anser
Et pictis anas enovata pennis
Plebejum sapit, ultimis ab oris,
Attractus Scarus, atque aratra Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur,
Mullus jam gravis est, amica vincit

Uxo-

Uxorem, rosa cinnamum veretur:
Quicquid quæritur, optimum videtur.

Quod Seneca *lib. 1. d. benefic.* De sui temporis moribus conqueritur, id ad nostros applicandum est: Nunc conviviorum viget furor, & fœdissimus patrimoniorum exitus, Culina. Nunc habetur ebrietati honor, & plurimum meri cepisse virtus est. Proavorum memoria Civem & NEGOTIATOREM ROMANUM CLEMENTI VII. Pontifici & Cardinalibus regali munificentiâ & omnigeno luxu cœnam struxisse, in qua paropsides linguis Psittacorum refertæ, observat Reines. 2. *var.* 9. Quod autem de Luxu Romanorum idem quoque de nostris temporibus audiatur verbis Forstneri *ad Tacitum*. Galli, Germani, Itali, Hispani, Sarmatæ præcipuè luxus infamiâ laborant. Sed in his populis alibi Procerum tantum & nobilitatis id malum est, alibi etiam ad oppidanos homines pervenit. Creverunt gluvies & gurgites prærupti conviviorum, & epulares triumphi, usus que abundantis serici, & textiles auctæ sunt artes & culinarum sollicitior cura. Circa CONVIVIA NUPTIALIA magnus hodie fit luxus, ut novelli conjuges per aliquot annos damnum rei familiaris non sentiant solùm, sed vix etiam restaurare valeant jacturam. Laudabilis autem mos est NORIMBERGÆ, ubi novelli conjuges post peractam nuptiarum festivitatem mediante juramento debent Magistratui denunciare, leges circa convivia nuptialia latas observaverint, nec ne. Verneuerte Hochzeit-Ordnung der Stadt Nürnberg *de anno* 1662. In DUCATU SAXO-GOTHANO determinatus est mensarum & ferculorum numerus, pro cujusque dignitate & conditione, vid. Ernest. Duc. Saxon. Hochzeits Ordnung / §. 11. & 12. Convivia BAPTISMALIA magno cum damno Subditorum cum fiant sumtuosiora, coarctanda sunt. Serenissimi Saxones ERNESTUS Elector,

Ejusque Frater ALBERTUS Ordinatione Dresdæ anno 1597. editâ sapientissimè sanxerunt: In den weichlichen Städten soll keine Wirthschafft gehalten werden / da man die Leute über sechs Tische darzu hat / und daß man denen nicht über dreymahl zu essen gebe. In den kleinen und offenen Städten / Märckten und Dörffern soll Niemands in seiner Wirthschafft / es sey zu Ausgaben / Hochzeit-Tagen / denn zu vier Tischen Volck haben / und daß denselben allen zu der Ausgabe / und auf dem Hochzeit-Tage / nicht mehr denn zweymahl / oder aufs allermeiste dreymahl zu essen gegeben werde / und nicht mehr / denn auf den Morgen fünff / und auf den Abend vier Essen gegeben. Es soll auch Niemands / wes Standes / Würden oder Ehren der sey / an keinem Ende mit dem andern / weder zu halben noch zu vollen trincken / noch durch kein Wort oder Weise / wie die darzu erdacht möcht werden / einer den andern zu solchen oder andern ungewöhnlichen und unbequemen Trincken reitzen; Wer aber hierinnen brechlich erfunden / der soll seiner Herrschafft Zehen Gülden verfallen seyn / desgleichen der Wirth / in des Hause es mit seinem Willen und Verhängnüs geschicht / auch Zehen Gülden verfallen seyn. Convivia tempore ENCÆNIORUM, die Kirchmessen / instituta certo modo quidem admittuntur, quoniam vero Baccho potationibus, Cereri commessationibus, Veneri saltationibus lascivis sacra celebrantur, terrarum Domini luxum istum ab-

abrogent. vid. Ordinat. Polit. Noviss. Elector. Saxon. *tit.* 20. *ibi* : Weil dergleichen Schwelgerey ꝛc. *Post deducta funera* magnus & olim fuit luxus, & hodie. NERO in funere Poppeæ plus cinamomi & casiæ combussit, quàm toto anno Arabia universa ferret, Plin. *lib.* 12. *cap.* 18. Apud GRÆCOS funera multis ceremoniis atque cœnis magnificis celebrata legimus, add. Kirchmann. *de Funerib. Roman.* Verùm Subditorum luxum, quem illi plerumque à Superioribus tractum imitantur, (exempla vid. apud Gruter. *part.* 1. *disc. in Tacit, pag.* 54.) non tam leges, quàm ipse Princeps exemplo suo tollit. De TIBERIO CÆSARE Sveton. *c.* 34. ait: Ut parsimoniam publicam exemplo quoque juvaret, solennibus ipse cœnis pridiana sæpè ac semesa obsonia adposuit, dimidiatumque aprum: affirmans, omnia eadem habere, quæ totum. De THEODOSIO Panegyristes ita: Tuæ, Imperator, epulæ mensis communibus parciores. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parsimoniæ cultus inolevit: & quiescentibus legum minis, subiit quemque privatim pœnitentia: De JULIANO Ammianus Marcellinus *lib.* 16. *c.* 5. ita: Cum terræ sæpè vastatæ, exigua quædam victui congrua Militibus ultimâ squalentibus inopiâ suppeteret, Imperator huic difficultati medelam allaturus primò temperantiam ipse sibi indixit atque retinuit, tanquam sumtuariis adstrictus legibus viveret, reputans ex Democriti dicto, quod ambitiosam mensam fortuna, parcam virtus apponat. Denique cùm legeret libellum assiduè, quem Constantius ut privignum ad studia mittens manu sua conscripserat, prælicenter disponens, quid in convivio Cæsaris impendi deberet, Phasianum & Sumen exigi vetuit & inferri, vili & fortuito cibo contentus. Cogitet ergo convivia paratûrus illud, quod Alciat. *lib.* 2. *παρ. cap.* 14. habet:

Ille sapit verè, qui callens hæc duo novit,
Nec nimiùm largus, nec nimis esse tenax.

POSITIO IV.

Servi, præterquam necessitas Utilitasque requirit, ne alantur.

Nam ·—— —— corpora pascere multa
ad paupertatem proximus est aditus.

Der Tisch ist ein heimlicher Dieb. JULIANUS Imperator cum Eunuchis & coquis servos etiam è palatio ejecit; rogitus verò, cur id faceret? ait: His non opus esse cum minori sumtu vivere posset, Erasm. *lib.* 8. *apophth.* Vulgatum est, complures ministros minimum famulari, cùm singuli singulorum fidant diligentiæ, sed unicus à se solo sciat omnia præstanda. Autor Institut. Viri. Publici *conclus.* 7. Et ne dicam, quod Servi Heros non ament; Exiguus enim iste, inquit Gvazzius *d. Civil. Conversat. edit. Reusner. Differt.* 4 *p.* 394. amor, ne dicam odium ex vitæ quidem voluntatum & morum dissimilitudine proficiscitur; Sed tamen ex ipsa servitute oritur: quando utplurimum magis ex necessitate, quàm voluntate, ministeria præstantur. Dum quis enim perpendit secum, liberum se natum esse, fit, ut ad servitutem se adigens, naturæ suæ resistat. Ac licet carceri quandoque voluntariè se mancipet, propterea tamen non credit, se, ut habet proverbium, cascum in Muscipula perpetuò esse manducaturum. Servi naturâ habentur hostes Dominorum; Undè proverbium; *quot Servi, tot Hostes*: quod errore quodam præpostere enunciari Sextus Festus scribit, cum olim diceretur: quot hostes, tot servi, vid. Borchold. *ad tit. Instit. d. his, qui sunt sui vel alien. jur.* §. *sed & major.* Horrendum relatu est, quod *anno* 1556. mense Aprili quidam prædives

No-

Nobilis, non procul ab Augusta Vindelicorum, à teneris puerum Æthiopem usque ad illum annum aluerat, cum fortè fortuna Nobilis domo abesset, Æthiops de nocte consurgens, conjugem totamque familiam, excepta Domini filiola, ad octo homines interemerit. Manè sequente die cùm rediret Dominus, vidit ædes suas præter morem clausas, & cùm propius adequitasset, apparuit illi in domus summitate Æthiops truculentissimo aspectu, qui in hunc modum Nobilem alloquitur: Scis homo crudelissime, qualiter me quondam tractaveris, quod sanè ad hunc usque diem memoriæ retinui, id nunc de tuis demum vindicavi. Ecce enim partem de cadavere conjugis tuæ, & infantem, quam unam reliqui, tibiq; restituam, si mihi incolumitatem promiseris. Pater extremè perturbatus, homicidæ incolumitatẽ promittit. At ille per fenestram infantem ante patris pedes projicit, scio, inquiens, quod mihi non sis servaturus fidem, nunc satis in temetipso & tuis injuriam illam ultus, moriar & ego. & sic de vestibulo ædium præcipitem se dedit, Richter *in axiom. Oecon. p.* 207. De Nobili Hispanico, cujus nomen fuerit *Don Riviero* in Insula Majorca similem refert Historiam Dn. Joh. Walther SS. Theol. Licentiat. im Historischen Spatziergang *part.* 1. *Histor.* 1. Tyrios à Servis suis, multitudine abundantibus, indigna perpessos esse supplicia, habet Justin. *lib.* 18. Aristotel. 2. *polit. c.* 7. reprehendit Rempublicam Lacedæmoniorum ob abundantiam servorum. De servorum nimia multitudine & malo inde proveniente vide Morum *in Utopia*.

POSITIO V.

Ædificia sumtuosa ne extruantur.

Principum est struere palatia, privati verò stulti sunt, qui omnia potius visenda, quàm semet efficiunt, Imhoff *d. ration.*

tien. Status 19. ubi ait: FLORENTIA Italiæ Urbs, quam damnosum Reipubl. sit, si cives ampla & operosa extra Urbem habeant palatia, serius didicit; quorum conservandorum gratia sæpius in turpes cum hostibus abiit conditiones; Experientia verò docet, quantum noceant ea, quæ sunt intra Urbem, utpote quæ sæpius possessores suos ad incitas redegerunt, & amore illa decenter incolendi, & à ruina vindicandi, quod sine magna opulentia fieri non poterat, omnia bona vilia esse jusserunt, fidem, probitatem, pudorem. Salust. 2. *Orat. ad Cæsar.* Nedum quod Ædes eminentes inter irritamenta invidiæ numeret Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 9. §. 3. LUCAS PITTUS, ut Jovius narrat, apud Cosmum Medicem conjurationis suspicionem incurrebat, quod Florentiæ domum munitissimam in loco editiore ædificasset, cujus magnificentia ipsas Cosmi ædes superabat, *Dilherr dissertat.* 1. *de Aula* §. 53. In Ædibus ROMANORUM talis cernebatur luxus; limina erant marmorea, Plin. *lib.* 36. *cap.* 6. Unde Horat. *lib.* 1. *Epist.* 18.

Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici.

Interdum etiam ærea Dn. L. Caspar. Sagittarius *in Doctiss. tract. de Januis veter. Cap.* 8. §. 33. Cardines erant ænei; quorum stridor posset aperta Ostia omnibus indicare, Servius *in lib.* 1. *Æneid.*, ex Lucretio Barthius *Adversar. lib.* 23. *C.* 21 refert illud:

Æraque quæ claustris restantia vociferantur.

Postes deaurati, Hieronym. *ad Marcellum*, Eosque ornabant trophæis. Ovid. *lib.* 3. *trist. eleg.* I.

Singula dum miror, video fulgentibus armis,
Conspicuos postes tectaque digna Deo.

Januas coronabant, in tecto domus habebant arbunculas & nemora, in quibus per æstatem voluptatem capiebant. Casaub.

ſaub. *ad Svecon. Auguſt. c.* 72. Hortis etiamnum hodie immenſos impendi ſumtus apud omnes conſtat. Nulla autem judicio D. Caſpar. Zigleri *Diſſert. d. jure Commercior.* 71. vel vitioſior unquam, vel veſana magis, vel damnoſa magis extitit negotiatio, quàm ea, quæ ante paucos annos inter BATAVOS circa flores & eos inprimis, quos *Tulipanos* dicunt, magno Gentium deridiculó fuit frequentata. Vix credet poſteritas tantam hujus ſeculi fatuitatem & deliramenta, præſertim ubi legerit, quæ de hac negotiatione prodidit Meteranus novus ſub *anno* 1638. *lib.* 55. Unicus flos mille, imò bis mille florenis fuit æſtimatus & venditus.

POSITIO VI.

Ludis immoderatis nemo adſveſcat.

NamALEA AntiquisLegibus Eſt Adverſa, & dicitur Aller Laſter Ein Anfang/Joh. Weinrich *diſſertat. d. Alea th. unic. notabil.* 1. *ad verb. Alea.* Et Aleatores malè mercari dicit Petrus Martyr *in cap.* 14. *Jud.* dum enim aliorum bonis inſidias ſtruunt, & ſuas pecunias ſimul deponunt, de depoſitisque dubias ſponſiones & ſortes faciunt incauti, proprias ſubſtantias perdunt, & ſe ſuosque ad extremam paupertatem ſæpiusque ad raſtrum & reſtim redigunt. juxta illud:

Dives eram dudùm, fecerunt me tria nudum;
Alea, Vina, Venus, tribus his ſum factus egenus.

Et

Amittat nummos, animi ſed damna lucratur,
Tempus *Taxillis* qui terit omne ſuum.

Weinreich *d. l. notabil.* 3. Ludus inſtar tineæ eſt, quæ & veſtem novam corrodit, & ligna arida conſumit, Anton. d. Gvevar. *lib.* 3. *Horolog. Princ. c.* 14. *num.* 499. Aleatorum naturam graphicè depingit Eclovienſis Medicus Paſcaſius Juſtus

ctus *in elegant. tractatu de curanda in pecuniam ludendi cupiditate*, ubi inquit: verè dicam: Multi, si parentem ære alieno carceribus contrusum emittere ac liberare debeant, non tanto id studio, cura, diligentia, dicam & successu factitant. Hinc inventus fuit, in quo tanta ludendi appetitio & vesana cupido ac voluptas fuit, ut moriens, quasi parum fuerit in vita lusisse, testamento religiosè caverit, ut detracta cadaveri suo cute, ossibusque omnibus exemptis, ex his tesseræ fierent ex illa verò, membranisque omnibus, mensa, alveolus, fritillaque quanta fieri posset diligentia, contegerentur, nimirum, ut quod libentissimè factitabat vivus, mortuus etiam, quantum posset, obiret. OCTAVIUS Cæsar adhuc juvenis alea sæpè ac libenter lusit, adeò, ut etiam ignominiam inde contraheret, sed hoc vitium emendavit senex, quo tempore saltem oblectamenti causa inter cœnam γερόντικῶς talis ludebat, Sveton. *in Octavio c.* 71. Bononiæ BELGA quidam parvæ pecuniæ recuperandæ causa triginta argenteorum nummorum millibus horæ ferè spatio aleam lusit, Pascal. *d. l.* GERMANI aleam olim inter seria exercebant sobrii, tanta lucrandi perdendique temeritate, ut cum omnia defecissent, extremo & novissimo jactu de libertate & de corpore contenderent, Tacitus *de morib. Germanor.* Ut taceamus rixas & odia, quæ ex ludis oriuntur: Ergò

Ludens taxillis, benè respice, quid sit in illis:
Spes tua, Res tua, Sors tua, Mors tua pendet in illis.

Heidfeld *in Sphinge c.* 35. *p.* 553. & Ovid. *d. art. amand. lib.* 3.

Tunc sumus incauti, studioque aperimur ab ipso,
Nudaque per lusus pectora nostra patent.
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido,
Jurgiaque & rixæ, solicitusque dolor.
Crimina dicuntur, resonat clamoribus æther,
Invocat iratos & sibi quisque Deos.

Jure

Jure meritòque igitur tam Imperatorum & Regum, quàm Principum constitutionibus ludi isti sunt damnati. Die Bretspiel/Karten und dergleichen/sollen keinem/so unter achtzehen Jahren ist/verstattet/denen aber so weit nachgelassen werden/wenn dieselben ohne Versäumung der Nahrung und zu einer recreation geschehen/oder causa convivii, umb ein leidliches Geld/ zu einer Mahlzeit und ehrlichen Zusammenkunfft gespielet würde/ iedoch/daß einer von Adel auf einmahl über einen Thaler/ein vornehmer Mann/so Bürgerlichen Standes/über zwölff Groschen/ein Bauer über einen Groschen nicht verspiele/solches auch in einem Monat über einmahl nicht geschehe/Leipzische Policey- und Kleider-Ordnung *anno 1612. pag.* 72. D. Ditherr *in addit. ad Thesaur. pract.* Besold. *voc.* Spiel. add *Heig. 2. quaest.* 10.

POSITIO VII.

Judicio Sortis ne quis se temerè committat.

Sponsiones, das Wetten / quamvis de re licita sint, tamen infeliciter sæpius cadunt, imò captionibus plenæ sunt. GALLORUM & HOLLANDORUM moribus interdicuntur, Charond. *in memorab. Observ. in verbo Gage in fin.* OLLÆ LOTTARIÆ, die Glückstöpfe/ Cives pecuniâ emungunt, eosque à negotiis abstrahunt. Multi quippe amore & spe lucri maximam partem suæ substantiæ consumunt, & ære suo defraudantur, D. Caspar. Ziegler *d. Commerc. th.* 63. ASSECURATIONIS contractum, ubi quis periculum rerum advehendarum pro certo pretio in se suscipit, quoniam fortunæ arbitrio dependet, fugitet, qui sapit, cum sæpius opulenti homines jacturam bonorum suorum ex ipso

faciant. vid. Scacciam. FIDEJUSSIONES, quantum quoque poteſt fieri, fugiendæ ſunt; Hinc illud Auſon: Ecce dicimus Latinum id eſt; ſponde, noxa tibi præſto eſt. Per mille poſſem currere exempla, ut probem, Prædes Vadesque pœnitudinis Reos. Inde eſt, quod facilè fidejubens dicatur vergere ad inopiam & re ſua malè uti. Gail. *lib. 2. Obſerv.* 84.

POSITIO VIII.

Mendicitas (improba) quæ ex otio naſcitur, in Subditis ne toleretur.

Segnis juventa, egens ſenecta, proverbium. Plaut. Rud.

Nimis homo
Nihil eſt, qui piger eſt, nimisque id genus odi ego malè.
Vigilare decet hominem, qui vult ſua tempori conficere officia.
Non enim illum expectare oportet, dum herus ſe ad ſuum ſuſcitet officium,
Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro & cum malo quieſcunt.

Qui ignaviâ ſuâ non arat, illi hyberno tempore mendicandum eſt, Salom. *in Proverb.* Rerum autem ſecundarum tranquillitas & jucunditas, otiumque cum pace conjunctum, petulantes & contumelioſos reddit, Ariſtot. *lib. 7. Polit. cap. 15.* At diſtrictis laſcivire non vacat, Senec. *Epiſt.* 56. Otium in ferro rubiginem, in ligno cariem, in panno tineam, in domibus ruinam, in terra ſterilitatem, in aqua putredinem, in aëre peſtilentiam generat, quid non faciet in homine? Engelgrave *Dominic. Septuages. emblem.* 12. *p.* 132. Cor otioſi hominis, dicto Gerſonis *in Opuſc. d. remed. contr. puſillanimit.* eſt inſtar molendini, quod cum non habet ad molendum bonum frumentum, quod in continuo motu eſt, molit & conſumit ſeipſum.

ipsum. In eâ civitate,ait Plato *lib.* 8. *d. Republ.* in quâ videas mendicos,ibidem esse fures latebras quæritantes, sacrilegos & hujusmodi sceleris artifices dubium non est. PERIANDER nullum otium concessit civibus suis, ut ne qua adversus se conspiratio iniretur. Imò si quem sedentem in foro conspexisset, eum statim mulctabat, Nicol Damasc. *in Exc. Peir. p.* 451. Apud ÆGYPTIOS, ARGOS & SARDOAS quique Præsidibus palam facere cogebatur,quo artificio victum sibi pararet,qui non faceret, aut otiosè vivere repertus esset, morte multabatur, Ælian. 4. *cap.* 1. Alex. ab Alex. *gen. dier.* 3. *cap.* 13. APPIUS CLAUDIUS crebrò dicere solebat, populo Romano melius negotium, quàm otium committi. Valer. Maxim. *lib.* 7 *cap.* 2. ANTONINUS PIUS otiosis salaria laudabiliter eripiens: Nihil,dixit,esse sordidius,imò crudelius,quàm si Rempublicam arroderent ii,qui in eam suo labore nihil conferrent, Jul. Capitol. *in Anton. Pio.* GERMANI veteres teste Tacito *de morib. German. c.* 12. ignavos & imbelles & corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate,merserunt. HUGO Marchio Brandenburgensis, Ottonis III. Imperatoris in Italia Vicarius otiosos in judicium ad reddendam otii & sumtuum rationem vocavit, Klock. *d. Ærar. l.* 2c. 102. *n.* 16. Dilherr *d. Areopago thes.* 19. Quæ consvetudo etiamnum viget in HETRURIA, maximè FLORENTIÆ, teste Camerario *oper. Succis. c.* 15. *fol* 137. POLONI vagos laboremq; fugientes homines aut graviter plectere aut regiis laboribus mancipare dicuntur. D. Joh. Georg. Simon. *d. Ergasteriis Disciplinar. cap.* 4. §. 2. In politia INDORUM CHINENSI neque in viis, neque ad templa ulli feruntur mendici, & laborare etiam cæci & manci membris coguntur, vid. Descript. Regn. Chinæ *lib.* 2. 10. Boter. *Cosmograph.* HENRICUS II. Rex Galliæ Edicto mandavit Decurionibus, ut publicis operibus mendicos validos exercerent, cæteri,

qui aut morbo impediuntur, aut mutilo corpore ad labo-rem sunt inhabiles, prochotrophiorum opibus sustentennir, nulli in publico ad stipem flagitandam vagari permittatur, quibus verò habitatio in civitate sit, suo autem labore se suamque familiam alere nequeant, stipe à contribalibus collata subleventur, August. Thuan. *lib. 3. Histor. ad ann.* 1547. In HISPANIA Edictum est publicatum, quo vagabundi mendici ad triremes poscebantur, quod CAROLUS V. & PHILIPPUS Hispaniæ Reges in statutis Mechlin. *anno* 1506. editis sanxerunt, Arnis. *doctrin. polit. cap.* 18. De Vagantibus Scholasticis sive von fahrenden Schülern & quàm multa illi dent damna in Republica lege omnino eruditissimum Discursum historico Politicum Celeberrimi Thomasii *anno* 1675. *mense Septembr. in Academia Lipsiensi habitum.*

POSITIO IX.

Qui sibi Reique suæ familiari vult benè consultum, à litibus abstineat,

Namque Litiget, ædificet, qui vult citò pauper haberi,
Wer will ins Bauren gschlechte/
Der Bawe viel/und Rechte.

Sicut enim in bello pecunia non sufficit, Waremund. ab Ehrenberg *lib.* 1. *d. fœder. c.* 2. *n.* 57. ita litiganti incumbit, ut jure duce, comite pecunia, telam judicii pertexat, Andreas Knichen *in Com. Jur. Saxon. cap.* 3. Neque absimiles videntur Litigantes Chymicis, qui dum laboriosè quærunt lapidem, omnia delapidant, Speidel. *in voc. Alchimia.* Litigaturo ergò opus est sacco, pleno pecuniæ, patientiæ & juris. Non una hic expensa est: quotidianæ Summulæ temporis progressu, ultrà, quàm qvis computet, augentur, ita quidem, ut dum credita petuntur, propria perdantur, multòque tabulis rationum domesticarum decedat, quàm vincendo accedat,

dat, Bud. *in for. p.* 317. ſplendidaque ſæpius patrimonia litigiis non ſufficiant impendendis, ſalaria etiam & mercedes exhauriantur Gæddæus; *Conſil. Marpurg.* 32. *vol.* 3. *num.* 76. Hodiè modus non datur querelis de protractione litium, ita ſeculum noſtrum nudatum eſt juſtitia:

Tanta vel in nobis utinam *Lis* eſſet *amoris*,
Quantus in hoc lacero tempore *Litis amor*,

Nicolaus Clenardus Brabantinus teſte D. Schuppio *in Lucidor. lit. E.* dicere ſolitus eſt: Die Juden verſchwenden ihr Gold mit Feſtmahlen: die Mohren mit Hochzeiten: die Chriſten mit Rechts proceſſen. Ut non immeritò Hieronym. Cardanus *tr. de Utilit. ex advers. capiend. lib.* 3. *fol.* 202. monuerit, Quinque maximè eſſe vitanda, quæ depauperant hominem dulciter: *Ludus*, *Alchymia*, *Architectura*, *Lites & Luxus*. ISABELLA Regina, dum Hiſpali morata eſt, longas moras pertæſa, lites omnes coram opitulantibus doctiſſimis & expertis viris compoſuit absque forenſi ſtrepitu atque proceſſuum & Informationum accumulationibus. CANTONES HELVETI Rempublicam moderantur, quamvis nulli inter eos Jurisconſulti, Saavedr. *Symbol. polit.* 21.

POSITIO X.

Materiam rudem ne exportent, quam ipſi poſſunt tractare ſubditi.

Anton Perez *C. d. licor. & itin. cuſtod. lib.* 12. conqueritur, quod HISPANI aliis populis mittant ſericum, lanam, chalybem, ferrum aliasque merces, illæ diverſimodè elaboratæ revehantur in Hiſpaniam, & ingenti coemantur pretio ob vecturæ ſumtus & artificium D. Ziegler *de jur. commerc. th.* 60. Joh. Bodin. *lib. 6. d. Republ. cap.* 2. refert, quæ in GALLIS obſervaverit, ibi: Ex opere civium quantæ utilitates ad Rempublicam perventuræ ſint, vel ex illo intelligitur, quod Blaſas

ad

qui aut morbo impediuntur, aut mutilo corpore ad laborem sunt inhabiles, ptochotrophiorum opibus sustententur, nulli in publico ad stipem flagitandam vagari permittatur, quibus verò habitatio in civitate sit, suo autem labore se suamque familiam alere nequeant, stipe à contribalibus collata sublenventur, August. Thuan. *lib.* 3. *Histor. ad ann.* 1547. In HISPANIA Edictum est publicatum, quo vagabundi mendici ad triremes poscebantur, quod CAROLUS V. & PHILIPPUS Hispaniæ Reges in statutis Mechlin. *anno* 1506. editis sanxerunt, Arnis. *doctrin. polit. cap.* 18. De Vagantibus Scholasticis sive von fahrenden Schülern & quàm multa illi dent damna in Republica lege omnino eruditissimum Discursum historico Politicum Celeberrimi Thomasii *anno* 1675. *mens. Septembr. in Academia Lipsiensi habitum.*

POSITIO IX.

Qui sibi Reique suæ familiari vult benè consultum, à litibus abstineat,

Namque Litiget, ædificet, qui vult citò pauper haberi.
Wer will ins Bauren gschlechte/
Der Bawe viel/und Rechte.

Sicut enim in bello pecunia non sufficit, Waremund. ab Ehrenberg *lib.* 1. *d. fœder. c,* 2. *n.* 57. ita litiganti incumbit, ut jure duce, comite pecunia, telam judicii pertexat, Andreas Knichen *in Com. Jur. Saxon, cap,* 3. Neque absimiles videntur Litigantes Chymicis, qui dum laboriosè quærunt lapidem, omnia delapidant, Speidel. *in voc. Alchimiæ.* Litigaturo ergò opus est sacco, pleno pecuniæ, patientiæ & juris. Non una hîc expensa est: quotidianæ Summulæ temporis progressu, ultrà, quàm qvis computet, augentur, ita quidem, ut dum credita petuntur, propria perdantur, multòque tabulis rationum domesticarum decedat, quàm vincendo accedat,

dat, Bud. *in for. p.* 317. splendidaque sæpius patrimonia litigiis non sufficiant impendendis, salaria etiam & mercedes exhauriantur Gæddæus, *Consil. Marpurg.* 32. *vol.* 3. *num.* 76. Hodiè modus non datur querelis de protractione litium, ita seculum nostrum nudatum est justitia;

Tanta vel in nobis utinam *Lis* esset *amoris*,

Quantus in hoc lacero tempore *Litis amor*,

Nicolaus Clenardus Brabantinus teste D. Schuppio *in Lucidor. lit. E.* dicere solitus est: Die Juden verschwenden ihr Gold mit Festmahlen: die Mohren mit Hochzeiten: die Christen mit Rechts processen. Ut non immeritò Hieronym. Cardanus *tr. de Utilit. ex advers. capiend. lib.* 3. *fol.* 201. monuerit, Quinque maximè esse vitanda, quæ depauperant hominem dulciter: *Ludus*, *Alchymia*, *Architectura*, *Lites & Luxus*. ISABELLA Regina, dum Hispali morata est, longas moras pertæsa, lites omnes coram opitulantibus doctissimis & expertis viris composuit absque forensi strepitu atque processuum & Informationum accumulationibus. CANTONES HELVETI Rempublicam moderantur, quamvis nulli inter eos Jurisconsulti, Saavedr. *Symbol. polit.* 21.

POSITIO X.

Materiam rudem ne exportent, quam ipsi possunt tractare subditi.

Anton Perez *C. d. licor. & itin. custod. lib.* 12. conqueritur, quod HISPANI aliis populis mittant sericum, lanam, chalybem, ferrum aliasque merces, illæ diversimodè elaboratæ revehantur in Hispaniam, & ingenti coemantur pretio ob vecturæ sumtus & artificium D. Ziegler *de jur. commerc. th.* 60. Joh. Bodin. *lib.* 6. *d. Republ. cap.* 2. refert, quæ in GALLIS observaverit, ibi: Ex opere civium quantæ utilitates ad Rempublicam perventuræ sint, vel ex illo intelligitur, quod Blæsas

ad

ad conventus Gallicos acceptâ legatione profectus, mercatorum querelas audiebam, cùm dicerent, lanarum exportationem vetitam quidem fuisse, nihilominus tamen Italum quendam à Rege prece vel pretio obtinuisse, ut lege solveretur, quâ quidem ratione, cum unus homo vili pretio lanarum vim infinitam in Italiam exportavisset, ex materia pannos à Florentinis opificibus confectos in Galliam revehi curavit, unde quantum pecuniarum coegerit, ex eo percipi potest, quod materiam partibus quindecim confectum opus superaret, Severinus d. Monzambano *de Stat. Imper. Germ. c. 7.* §. 3. Nec modica, ait, pecuniæ vis ad exteros transfertur, per stultitiam GERMANORUM, dum ab istis merces petunt, quas vel apud se producere, aut quibus omnino caruisse in proclivi erat.

CAPUT OCTAVUM.

DE

ADMINISTRATIONE JUSTITIÆ.

POSITIO I.

Justitia est Imperiorum fulcrum.

Eleganter sanè Johann Casus *lib. 6. Specul. Moral.* Justitia, ait, civitatis Norma, Magistratus Anima, Causa & Fundamentum Legis est, cujus veluti canales in singulos cæterarum virtutum rivulos fluunt ac derivantur: Hanc ipsa Natura peperit, Eperientia nutrivit. Sapientia denique multarum ætatum in Solio Majestatis, ut augustissimam rerum humanarum Imperatricem collocavit, quippe multa pars vitæ justitia vacat. Cui paria differit Piccolomin. *grad. 4. d. Virtut. Moral. c. 49. pag. 369.* quod scilicet Justitia adeo congruat Regibus & Imperatoribus, ut sola ad dominandum & imperan-

randum nata esse videatur, imò Justitiam Sole esse splendidiorem, quia Sol interdiu solùm, Hæc autem noctu refulgeat; Sol oculis corporis tantùm, Hæc etiam oculis Mentis; Sol diuturnâ præsentiâ obsit, & sua absentia noctu prosit; Justitia semper obsit absentiâ, semper prosit præsentiâ. Unde AGESILAUS Lacedæmoniorum strenuus Dux, teste Plutarch. *in Apophthegm. suis*, interrogatus, Utra Virtus esset præstantior, Fortitudo an Justitia? Fortitudinis, respondisse fertur, nullus est usus, nisi adsit justitia. Hæc autem si præstò, facilè illâ carere possumus. LEO, Euricratidis Filius, apud Plutarchum, sciscitanti, in qua demum civitate tutò habitare liceret? Ubi Justitia, inquit, viget, hæc enim est unicum civitatum fulcrum, unicum vitæ nutrimentum, unicum Regnorum columen. Hinc digna Optimo Principe vox est FRIDERICI Imperatoris ad Consiliarios: Quid ergo divitemne potius, quàm justum Regem vultis? Præclarum quoque est TIBERII CONSTANTINI jamjam morientis ad Mauricium Generum suum monitum; Sit Tibi, inquit, imperium cum hac puella filia concessum; utere eo feliciter, in mente habens, justitiam præcipuum esse optimi Principis insigne. Aimon. *d. reb. Franc.* 3.35. Quemadmodum autem non sufficit ad sustentationem corporis recta constitutio capitis, nisi & cætera membra rectè se habeant, suo quodque fungatur officio. Ita exiguum momentum attulerit Principis animus Justitiæ amantissimus, nisi & Ministrorum sit idem. Autor *Instit. vir. publ. p.* 4. *concl.* ex Guich. *lib.* 6.

POSITIO II.

Justitia ac Clementia connectantur.

Justitia enim, à qua abest Clementia, Crux est, Diocl'et. *ap. Pompon. Læt.* Clementia conciliat omnia, quæ Sceptro

digna, Amorem, Firmitatem gloriamque, Lipf. *lib.* 2. *polit. cap.* 12.

Cum luci atque umbris æqvum Sol dividit Orbem;
Nec calor exurit; nec gelat Arva rigor.
Tunc Regi placuit cœleftis Regia: Namque
Rex juftè, fummo jure Tyrannus agit.

Emmanuel Thefaur. *Infcript. in funebr. apparat. p. m.* 6. add. Sprenger. Tacit. axiomatic. *lib.* 1. *cap.* 8. Omnia fcire, non omnia perfequi, parvis peccatis veniam, magnis feveritatem commodare, nec pœna femper, fed fæpius pœnitentiâ contentum effe oportet, Tacit. *in Agric. cap.* 19. *v.* 4.

—— prima chaos Clementia folvit,
Hæc docet, ut pœnis hominum vel fanguine pafci
Turpe putes.

Claudian. *Paneg.* 2. *in Stilicon.* Aurea funt verba JCti Marciani *in l.* 11. *ff. de pœnis.* Perfpiciendum eft judicanti, ne quid aut durius, aut remiffius conftituatur, quàm caufa depofcit. Nec enim aut feveritatis aut clementiæ gloria affectanda eft. Sed perpenfo judicio, prout quæque res expoftulat, ftatuendum eft. Qui Clementia & benignitate Imperium temperant, his candida & læta omnia fuiffe, imò ipfos hoftes æquiores, quàm aliis Cives, ait Sveton.

Qui vult amari, languidâ regnet manu,
Invifa nunquam Imperia retinentur diu.

Senec. *in Theb. Act.* Et eleganter Didac. Saavedr. *Symbol. polit.* 22. Struthionis ftomachum Princeps habeat oportet, tam mifericordia calidum ut ferrum digerat; & fimul Aquila fit cum juftitiæ fulmine, quæ feriendo unum, multis minatetur. Si omnes, qui delinqvunt, puniendi forent, nemo fupereffet, cui Princeps imperaret. Per Clementiam Principes Deo poffunt effe fimiles, Arnif. *l.* 1. *polit.* 9. inque ejus fignum ungi folent,

lent,ut scilicet aliis sint clementiores ac dulciores,Jodoc. Clichtovæus *c.* 14. *d. verâ Nobilitat.* ALEXANDER M. apud Curtium *lib.* 8. *c.* 8. ait: Regum Ducumque clementia non in ipsorum modò,sed etiam in illorum, qui parent,ingeniis sita est. Obsequio mitigantur Imperia, ubi verò reverentia excessit animis,& summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus. Principi,dicente Seneca *d. Clement. lib. c.* 24. non minus turpia creduntur multa supplicia, quàm Medico funera. de PAPYRIO Livius loquitur *lib. histor.* 8. Sensit peritus Dux,quæ res victoriæ obstaret,temperandum esse suum ingenium & severitatem miscendam comitati. AUGUSTUM Livia docuit,fac,ait,quod Medici solent,qui,ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti; nunc tenta,quomodo Tibi cedat Clementia, Senec. *lib. d. Clement. c.* 9. MANLIUS nimiis remediis seditionem irritasse dicitur Livio *histor. lib.* 6. Luporum est, & fœdioris ortus bestiarum,ab injuriâ accepta ad iras, ab iris ad ultionem decurrere. Leones contra tunc armantur,cùm parem hostẽ nacti sunt: Victorum pelles despiciunt citius,quàm trahunt; & ungvem nobilem dedignantur in omni sanguine maculare Bisselius *in Icaria p.* 217. 218. VESPASIANUS nullius cæde lætatus justis etiam suppliciis ingemuit, Ejusque filius TITUS nunquam cujusquam necis autor fuit,nec conscius se periturum potius quàm perditurum adjuravit. Sveton. *lib.* 5. *c.* 1. *lib.* 6 3. JACOBUS VI. magnæ Britanniæ Rex *lib.* 2. βασιλικοῦ Δώρου in transgressores, inquit, exerce leges, deinde misericordia tempora, cum senserit populus, te, ubi usus est, posse ferire. Nam si ab initio Clementiam ostentes, crescet in immensum delinquentium numerus; Crescet Tui contemtus; & cùm punire volueris,major erit sontium, quàm insontium numerus; nec promtum erit decernere,unde facere oporteat initium pœnæ. Atque ita multos

perdes invitus, quos tempestiva paucorum pœna servare potuisses. Præsertim in delictis majoribus, quæ nunquam fiat sine pœna; Ut *magia, homicidium deliberatum, incestus intra vetitos consanguinitatis gradus, exhibitio veneni, adulteratio Monetæ.* De CAROLO MAGNO Puteanus *lib.* 4. *Histor. Insubr. p.* 197. ibi: Carolo recentem victoriam Pietas & Clementia auxêre: nemo religiosius invasit Italiam, nemo mitius perdomuit. Regem tantùm Longobardi mutârunt, Dominum Insubres, Sedes & fortunæ cuique integræ. Nulla post bellum calamitas. SABACO, Ægypti Rex capitales pœnas in damnationem ad operas publicas, non sine felici successu mutavit, Diodor. Sicul. *Bibliothec. Histor. lib.* 1. CAROLUS V. Imperator sæpius dixisse fertur: Sicut stella Saturni, qui summum inter Planetas locum teneret, tardissimè moveretur, ita Cæsarem Romanum, qui summum in orbe dignitatis locum obtineret, non facilè moveri debere, imò eum, quô potentior & nobilior est Cæteris, eô oportere mansuetiorem & placabiliorem, erga omnes, Subditos præsertim esse. Lege sis egregiam pro Clementia & Venia contra Supplicium conjuratorum orationem, quam habuit Franciscus de Cremis in historia Antonii Possevini, Medici Mantuani, relatam à Forstnero *in not. polit. ad* Cornel. Tacit. *lib.* 12. *p. m.* 125. Monendum tamen est, ut Princeps ante omnia Subditorum mores & ingenia in temperanda justitia cum Clementia sibi habeat probè cognita. Non enim promiscuam habere & vulgarem Clementiam Principem oportet: sed adhibenda moderatio, quæ sanabilia ingenia, distinguere à deploratis sciat: & tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli. Senec. *lib.* 1. d. Clement. Prudens Rigor Clementiâ ac Caritate commixtus rebus inprimis publicis non obstat. Robert. Keuchen. *in Anton. Pio p. m.* 133. POPULI SEPTENTRIONALES ut ait Campanella *d. Monarch. Hispanic. c.* 11. amant

leges

leges humanas, & volunt Verecundia potius coerceri, quam Vi. Neque HISPANI Imperio quicquam magis apud Belgas offecit, quàm quod Hispanis Belgicorum morum ignaris Magistratus & Imperia in Belgas mandaverit, Boxhorn. *in not. ad Instit. polit. lib. 1. c.* 8. § 4. add. Hugo Grotius *in Annalib. Belgicis.* Scipio Amiratus *lib.* 4 *Discurs. polit. in Tacit.* 7. Saavedra *symb. polit.* 30. MERIDIONALES, sicut vandalosci strictum jus amant. ITALI item LUSITANI & CANTABRI mediocritatem expetunt. Sapienter sanè Bilibaldus Pirckheimerus, Maximil. I. & Carol. V. à consiliis, Reipubl. Norimbergensis Senator ad Hadrianum Pontific. Max. in epistol. quæ *p.* 372. operum ejus extat, scripsit; Non omnes populi uno ac eodem modo conciliari, aut tractari volunt, sed habet gens quæq; peculiare aliquid & à cæteris diversum. Id nisi quis rectè discernere & aliter inter GERMANOS, aliter inter ITALOS, GALLOS & HISPANOS se gerere novit, is præterquam, quod vix aliquando voti compos evadet, in multis fallatur, & aberret necesse est, etiamsi ipse sibi vel callidissimus videatur. Prout verba allegat Dn. Simon Bornmeister *dissert. d. Scientia Perfecti Politic.* §. 16. *lib.* 6.

POSITIO III.

Justitiæ exercitium non impediat Princeps, nec Judex; etiamsi Primores vel Illustriores pœna concernat.

Fulmina paucorum demittuntur periculo, ut terreantur universa. Tacit. *lib.* 13. *Annal.* add. Freinshem. ad Curt. *lib.* 6. *c.* 1. §. 20. & *c.* 6. §. 34. Idem ait Robert. Keuchenius ad Anton. Pium *p. m.* 146. quod pœna quidem ad unum, metus ad omnes perveniat, multoque securius in Caput, unde malum exortum est, quàm in Manus & Pedes, qui patrârunt. TITUS VESPASIANUS Imper. amor & deliciæ generis

humani dictus, jam agonizans suspexit cœlum, multumque conquestus est, eripi sibi vitam immerenti; neque enim extare ullum suum factum pœnitendum, exceptô uno, Sveton. *in Tacit. cap.* 10. quod videlicet fratrem, à quo certò sciebat sibi insidias parari, non interfecisset, explicante Ziphilino ex Dione *lib.* 66. OTTO III. Imperat. Uxori suæ enormiter peccanti non pepercit: Sic Siffridus presbyter. *p.* 689. memorat: Otto, ait, cum esset apud Mutinam Civitatem cum Uxore sua, Ipsa Imperatrix cuidam Comiti se prostituere voluit; Sed cum ille consentire nollet, illa indignata prædictum Comitem apud Imperatorem adeò infamavit, ut eum Imperator sine causæ cognitione decollari præciperet. Qui, antequam decollaretur, rogavit Uxorem suam, ut judicio candentis ferri post mortem eum comprobaret innocuum. Adest dies, in qua Cæsar se pupillis & Viduis exhibebat judicaturus. Adfuit & fæmina, Comitis caput secum habens, quæritque, quâ morte esset dignus, qui injustè aliquem occidisset? Quô respondente, capitis privatione; illa ait, Tu es ille Vir, qui Maritum meum ad suggestionem Uxoris tuæ injustè occidi mandâsti. Quod cùm illa per candens ferrum probasset, Cæsar in manus fæminæ se tradidit puniendum. Interventu tamen Pontificis & Procerum decem dierum inducias, deinde „ octo, deinde septem, tandem sex à Vidua accepit. Tunc Im„ perator causâ examinatâ & cognita UXOREM suam „ vivam cremari fecit, Viduæque quatuor dans castra, vitam „ redemit. add. Anton. Davrovlt. *in florileg. exempl. cap.* 3. *tit.* 98. *exempl.* 2. Neque Judex Legis vel consuetudinis pœnam suapte Sponte immutet. CAROLUS I. Hispaniæ Rex Judicem aqueo jussit suffocari, qui Homicidæ doloso manus amputationis duntaxat pœnam indixerat, Andr. Tiraquell. *d. pæn. tempor. & remiss.*

POSI-

POSITIO IV.
Justitia ne fiat in occulto.

Qui eam in occulto exequitur, Sicario similior est, quàm Principi, Saavedra *Symb. polit.* 22. Itaque moribus receptum est, pœnas, ne injuriæ suspicio suboriatur, quantum commodè fieri potest, publicè infligi; Omni enim populo inest quiddam malignum & querulum in Principem. Lips. 4. *polit. c.* 11. Laudatur JOHANNES DI VERGA Siciliæ Pro-Rex, quod cuidam illius Insulæ Magnati, mortis reo, cum 30. millia Scudorum obtulisset, in secreta Urbis parte interfici juberetur, ne in ipsa Urbe conspectior mors foret, responderit: *Justitia non habet locum, si non fiat in suo loco.* Scelera enim ostendi debent, dum puniuntur, flagitia abscondi. Tacit. *de morib. German. lib.* 1. Imhoff *d. rat. stat.* 37. ALPHONSUS Sapiens perdidit existimationem apud suos, quando Justitiam secretò exercere visus est, Marian. *histor. Hispan. lib.* 12. *cap.* 6. Est tamen *Ratio Status*, magnos viros ex improviso quandoque & clam tollere. De LENTULO, qui cum Sociis periit in carcere, quod Tullianum appellatur, ita Appianus *lib.* 2. *d. Civilib. Roman. bell.* ibi: Veritus itaque Cicero, ne instante nocte aliqua conjuratorum manus in foro exurgeret, ac pro illis pariter & seipso sollicitus, ne quid dirum aut fœdum molirentur, utilius esse ratus, cum Senatus in Curia adhuc esset, celeriter nullo judicio rem conficere, unumquemque ex conjuratis in carcerem deduci imperat, ibidemque multitudine inscia supplicio affecit. Posthac in forum delatus palam eos interiisse significavit. Cæteri metu territi, ac sibimetipsis præcaventes hinc inde dilabuntur; eóque modo Civitas à trepidatione, quæ cunctis eadem die potissimum institerat, paulisper respiravit. Omnium præstantissimum judicat Plutarchus *in parall. Pelopidæ & Marcell.* per tenebras & falla-

fallaciam rerum gestarum tollere tyrannos. Sic CÆCINNA jussu T. Vespasiani in palatio, statim ut surrexit à cœna Imperatoriâ, occisus est, ne quid nocte prius moliretur, siquidem jam magnum numerum militum, ut deprehensum fuerat ex ejus chirographo, comparaverat, Dio *lib*. 5. ALBANUS Dux interrogatus, cur duos olim Principes clandestina morte perdidisset. Respondit, ob maximum rei periculum. Denuò interrogatus, cur idem in Belgio non observasset in EGMONDANO & HORNIO, quos palam detruncari fecerat? Respondit, in illa executione se Dominum fuisse supplicii, in hac Ministrum, Trajan. Boccalin. *in relat*. 44. *Cent*. 2. In Gallia Mareschallus ANCRÆUS anno 1617. manu Vitrii & jussu quidem Regis duplici glande transfossus est; quod factum secuta sunt gaudia, ut dicerent: Restitutam hodie Senatui Libertatem; Autoritatem Legibus; Regi Regnum. Grammond. *lib*. 2. *Histor. Gallic. p. m.* 158. ALBERTUS WALLENSTEINIUS Dux Fridlandiæ, Sagani & Glogoviæ, Imperator bellicus arbiterq; totius belli anno 1634 Egræ d. 15. Febr. inauditâ causâ obtruncatus est.

POSITIO V.

Sæpe quis ad supplicium trahitur, cùm tamen sit innocens.

Inter præcipitia, necessaria potius subeunda sunt, cum media sequi deterrimum fuerit, Tacit. 3. *Histor*. 40. 4. ut rectè dixerit Plutarchus, â justitia in parvis rebus nonnunquam abeas, si salvam eam voles in magnis. OTTO Imperator mortem sibi potius elegit, quàm ut pateretur, tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus sterni rursus & Reipublicæ eripi, referente Tacito. SCÆVOLA ingenti pro patria periculo suapte sponte se exposuit, Florus. LACEDÆMONII bello cum Achæis exhausti pacem deditione viginti

qua-

quatuor Civium innocentium redemerunt, Flor. *lib.* 3. *c.* 15. In MILTIADE erat cùm summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret: magna autoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc Populus respiciens, maluit eum *innoxium* plecti, quàm se diutius esse in timore. Cornel. Nepos *in Miltiad.* Asterisco notandum, quod narrat D. Heinricus Rahn. JCt. & Antecessor quondam in Academ. Rostochiensi *Dissertat. d. Ration. Stat. th.* 53. Ex auditu hoc habeo, „ inquit, MAGNUS GABRIEL DE LA GARDE, seu qui alius, cùm Svecorum adversus Polonum duceret Exercitum, „ laxaque admodum esset disciplina; ut Militem cohiberet, „ Vindicem rerum capitalium, quisquis primus ordinem „ libidinosè deserens, obvius sibi foret, laqueo gulam frangere jussit. Sors *Scotum* quendam contingit, cum quo, sicut „ imperatum erat, facit. Pauci intererant dies, Exercitus educitur ad prælium per eum locum, ubi miser alligatus erat, „ quem cum conspiceret Scotorum cohors, causam rei ignorans, Sociique contumeliam, cujus se credebat participem, „ indignè ferens, rebellare cœpit. Obstupuit ob rei novitatem Imperator, cùm, quantum periculi sibi immineret, intelligeret, aderat enim in conspectu hostis, & in eo erat, ut „ signo dato, infestis concurreretur signis: Verbis igitur eos „ placare aggressus ingentibusque promissis, frustra; tandem, cùm nihil sibi reliqvum esse videret, necessitate coactus, ipsum vindicem, qui nihil, nisi quod erat imperatum, „ fecerat, manu sua transfodit: Ita innocenti sanguine servatus Exercitus, partaque Victoria. Durum facinus, nec facilè sequendum! adde Grot. *d. Jur. Bell. & Pac. lib.* 2. *c.* 25. §. 3. Azor. *Instit. moral. tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 1. *q.* 2. Less. *d. Justit. & Jur. l.* 2. *c.* 9. *dub.* 7. *n.* 38. Dom. à Soto *d. Just. & Jur. lib.* 5. *q.* 6. *art.* 7. Dian. *Resol. Moral. tom.* 8. *tract.* 5. *resol.* 39. *n.* 3.

POSITIO VI.

In justitia locum habet Prosopolepsia.

Non intelligitur prosopolepsia illicita & reprobata, quando ex odio gratiave uni magis, quàm alteri favetur, hanc enim æquè sacræ, quàm prophanæ literæ execrantur; quoniam, dicente Cicerone, in omnibus Principum consultationibus neque gratia spectanda sit neque odium; Sed eam unusquisque sententiam debeat dicere, quam iste optimam esse censet. Verùm istam hic volumus intellectam, prout circumstantiæ probè sunt attendendæ, indeque pœnarum disparitas exoritur. Quemadmodum in levioribus delictis Nobiles mitiori sunt afficiendi pœna, & accusati non includuntur carceri, sed arrestantur, Tiraquell. *d. Nobilitat. c.* 20. *n.* 28. Hanau *d. Nobilit. quæst.* 140. Unde C. CLAUDIUS Virum honoratissimæ imaginis (qui erat Appius Claudius) in vincula conjectum fuisse conqueritur apud Liv. *decad.* 1. *lib.* 3. C. LECTORIUS Adolescens patricii generis in deprecanda graviore pœna adulterii, natales inter cætera allegavit. Sveton. *in August. c.* 5. In iis tamen delictis, quæ contra splendorem nobilitatis alteriusve dignitatis commissa sunt, gravius esse puniendos nobiles existimat D. Petrus Fritzius JCtus & olim Electoral. Brandenburg. Consiliar. in dissertat. *d. Nobilitat. conclus.* 25. Ætati quoque Juvenili aliquid detur; Sit adolescentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur: non semper superet vera illa & directa ratio: vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, Cic. *in orat. pro Cæl.* §. 42. Hinc prudenter Lucan. *lib.* 9. Cæsarem ita loquentem facit de Ptolomæo, puerilis ætatis Rege, cujus jussu Pompejus erat interemptus:

—— ---- Sed parcimus annis
Donamusque nefas.

Se-

Senum quoque ætas excusat: Non solùm Senex, ut videtur, bis erit puer,sed ipse etiam temulentus, Plat. *d. Legib. lib.* 1. Elegans est comparatio Senii cum ætate prima, quam Andreas Tiraquell. *tr. d. pœn. temper. aut remit. caus.* 8. *n.* 3. ex Erasmo adducit: Primum,inquit,redit albor, simul & raritas capillitii,quorum utrumque pueris familiare; deinde balbuties, veluti altera infantia. Præterea gingiva exarmata dentibus, aut certè perpaucis & eis vacillantibus instructa, quod & ipsum Infantibus commune. Quin etiam senibus omne corpus ad puerilem modum decrescit,consimilis virium imbecillitas,imò verò cibi quoque consimiles utrique ætati congruunt. Postremò morum ineptia,levitas animi,& hoc ipsum nil sapere in senibus,infantiam quandam referre videtur. Propter senectutem & simplicitatem GREGORIUS Pontifex Januario Episcopo,qui ante Missarum Solennia ad messis exarationem profectus fuerat,parcendum esse censuit, *c. tanta nequitia. dist.* 86. SENATUM tamen MEDIOLANENSEM furi cuidam decrepito robusto,qui ex longa consvetudine videbatur in furtis inveterasse, fastigationem dictitasse meminit Julius Clarus *Sentent. pract. crim. l.* 5. §. *f. q.* 6. *n.* 6. Prudentia Judicis ejusmodi casibus exortis opus est, ne dum ætati parcere volens ad majora peccata fenestram patefaciat; Ælian. *in var.* memorat,PUERUM quempiam apud Athenienses,cum auream laminam,quæ ex Dianæ corona deciderat,sustulisset,in judicium fuisse adductum,Judices autem, cùm crepundia, talos & laminam auream proposuissent puero, is iterum ad aurum inclinavit; ideoque plexus est tanquam Sacrilegus,neque ætati veniam dederunt, sed flagitium ac scelus vindicarunt. Constat FURIOSUM mortuo comparari,ut proinde vel nullam,vel mitiorem pœnam ob commissum facinus sentiat; Nihilominus tamen in Polonia contrarium, forsan ob atrocitatem criminis,execu-

tioni fuit datum, tradente Paulo Pinlecio *in Chron. gestor. in* „*Europa singular. pag.*337.ubi ait: MICHAEL PIEKARSKI „fuit genere Nobilis,sed à nativitate mente motus ac furio- „sus: Unde Rex, cui hoc incumbit, dederat ipsi Curatores „ipsiusmet cognatos,qui patrimonium ipsius non vile gu- „bernarent,ipsumque alerent; Seria demum cognitione su- „per ipsius amentia instituta, judicii publici sententia fuit „declaratum,quod esset rationis expers. Hoc igitur vesa- „nus ille injuriam reputans,seu quod audisset fremitus po- „puli, ut audiebantur passim, propter auxilia Austriacis „missa, Turcam inde incitatum,in Regis persona ulcisci pro- „posuerat à multo tempore oportunitate rei gerendæ quæ- „sita, & die 15 Novembris Dominica à poste templi, quem „retro ad hoc latuerat, exiliens in caput egredientis Tem- „plum Regis, clavam mucrone eminente munitam, quod „teli genus Polonis usitatum est Czekan vulgariter dictum, „semel & iterum impegit; unus ictus à capite fefellit, & in- „ter scapulas deflectens,leve inflixit vulnus; alter verò ma- „xillæ sinistræ supremam cutim abrasit,dicto citius, ut nul- „lus expedientem manus adverterit,illis qui præibant,gressui „continuando intentis, & Principe Uladislao, qui subse- „quebatur ad colloquentes converso: Conciderat autem Rex „percussus in terram,& statim sublevatus ab *Adamo Kalinski*, „recessit ad proximum sacellum,ibique obligatâ plagâ re- „diit ad palatium. Princeps Uladislaus ad illum fragorem „demum conversus,frameam in Sicarium vibraverat,& pro- „hibito, ne à quoquam, ut multi parabant,feriretur,captum „ad quæstiones reservari jussit. Sed neminem nefarius ille „vel socium vel conscium criminis inter acerbiora tormen- „ta nominavit, & non nisi manias narrabat, magis dolens „manus suæ errorem. Ac sub finem Novembris sententiâ „Comitiorum damnatus,supplicium subiit tale: Cum ab arce

ad

„ ad novæ civitatis forum vehebatur,ignitis in eundo forci-
„ pibus laniatum, deinde manu dextrâ & digitis articulatim
„ præcisis, equis in diversum incitatis, à pedibus distractum
„ carnifex flammis consumsit,ejusque cineres in profluentem
„ Vistulam abjecit. Bona quoque ipsius fisco fuerunt appli-
„ cata,ex quibus *Kalinski*,qui Regem cadentem sublevârat, u-
„ nam villam obtinuit.

POSITIO VIII.

Monomachia non est concedenda.

Non vosmet ipsos ulciscentes Carissimi, sed date locum iræ Dei. Scriptum est enim, mihi vindicta, ego retribuam dicit Dominus. *Rom.* 12. *vers.* 19. Placuit ex omnibus his injuriis ex legibus judicium exerceri, non autem ex cujusque impetu atque arbitrio, Demosthen. *in Conon.* Injuriamque acceptam per Magistratum exequi oportet, Dn. Puffendorff. *d. Jur. Nat. & Gent. lib.* 2. *Cap.* 5. §. 10. Equidem olim Duellis Res Imperii definiebantur, de quibus Hugo Grotius *lib.* 2. *de Jur. Bell. & Pac. c.* 23. *n.* 10. Certamen de Peloponneso HYLLUS & ECHEMUS, de Regione ad Inachum HYPEROCHUS & PHEMIUS; de Elide PYRÆCHMA Ætolus & DEGMONUS Epeus; de Iba CORBIS & ORSUA. Apud Livium Metius Tullum sic alloquitur: Ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent sine magna clade, sine multo sangvine utriusque populi, decerni possit. Similiter de Religionis certitudine pugnas subiêre. Cum MAHOMETANUS GIGAS cum ROLANDO (quem Caroli M. ex Sorore Nepotem vulgò, sed falso vocant, vid. D. Ioh. Frider. Rhetius JCtus Francofurtanus ad Viadrum in eruditiss. *Dissert. d. Statuis Rolandin. in Urbib. & Vicis quibusd. Germaniæ Jurium aliquorum Indicib. cap.* 1. *num.*

1. *num.* 9.) post pugnam de fide disputasset, inquit Gigas: Tali tecum pacto iterum pugnabo, quod si vera est hæc fides, quam asseris, ego victus sim; & si mendax, tu victus sis. Fiat, inquit Rolandus. Et ideo bellum ex utroque corroboratur. Rolandus igitur cœpit implorare auxilium Filii Mariæ Virginis, & etiam Deum suum Gigas: Mahumet, Mahumet, Deus meus succurre mihi: Sed victus occubuit, Rolando superstite, uti post Ioh. Turpinum refert VVolff. *lib.* 1. *memorabil. f.* 222. De GALLIS Isaacus Casaubonus animadvers. in Athenæi *lib.* 4. *c.* 13. *p.* 281. refert his verbis: Fuit & illud veteribus Ducibus genus μονομαχίας non incognitum, cujus quotidie exempla eduntur à malè consulta Nobilitate Gallica. Rixæ inter Nobiles ex levibus sæpè offensis cientur, offensam condonare & ignoscere, quod Sapientes magnanimitatis proprium putarunt, turpe & ignominiosum habetur. Unicum hodie Nobilitatis specimen est, jus suum armis persequi. In hoc cardine vertitur summa illorum existimatio, & is, quem falsò honorem vocitant. Qui injuriam parvam magnam sibi factam arbitratur, illius autorem ad singulare certamen provocat: concurritur, horæ momento alter ambove mutuis vulneribus pereunt. Certissimum est, nullum seculum ex veteri historia nobis cognitum adeo crebra hujus insaniæ exempla vidisse, atque hoc nostrum planè ferreum. Barclaj. *part.* 4. *Satyric. cap.* 3. Mirandum est, anno 1665 Gallicanas DUAS MULIERES equis insidentes singulari decertasse certamine, vid. *Relatio Lipsiensis c.6.p.*30. *dicto anno.* FRONTO Danorum Rex omnes controversias singulari pugnâ dirimi jussit. Ant. Matthæ. *d. judic. disp.* 1. *thes.* 30. add. Hotom. *quæst. illustr. qv.* 3. Duellum nonnullis in locis ad componendas lites adeo solenne fuisse, ut nec ipsæ personæ Ecclesiasticæ ab ipso immunes fuerint, ex D. Luc. Dachery Monachi Benedictin. Spicileg. Veter. aliquot Scriptor.

ptor. nunc primum in lucem editor. *tom.* 8. notat Dn. Frideric. Nitſchius U. J. D. & Profeſſ. Giesſenſ. *in utiliſſ. Ephemerid. Eruditor. anno* 1668. *pag. m.* 903. De aliis populis, apud quos fuerit Duellorum frequens uſus, vid. Bodin. *d. Republ. lib.* 4. *cap.* 7. Kirchhof *in relat. historic. rer. geſtar. circ. ann.* 1529. *in fin.* Dreſſer *in Isagogic. historic. in millen.* 3. *part.* 1. *ad annum Mundi* 2738. Jovius *in comment. rer. Turcic.* Modius *in Pandect. Thriumphar. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. Grotius *d. Jur. Bell. & Pac. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 30. AST impium eſt Juſtitiam cauſæ committere Duellis; cùm non, niſi pro patria, juſſu Principis, aut inculpata corporis tutela, cuiquam gladium ſtringere fas ſit, Lanſius *Conſult. Europ. Orat.* 5. & facilè vincatur is, cujus cauſa juſtiſſima eſt. Certè Duellorum permiſſio faceret, ut Magiſtratui debitus honor decreſcat, & civiles diſcordiæ latè disſeminentur. *Præfat. Trutin. Stat. Europ. Ducis de Rohan.* Nunquam vel raro Reſpublica eſſet pacata, ſi unicuique integrum foret, quoties injuria quis aliqua oneretur, in arenam deſcendere, cum tamen injuriæ compenſatio Juri non tantum inimica, ſed etiam paci. D. Ditherr ad Beſold. *Theſaur. Practic. Voc.* Ausforderung/ *& in voce Duell*, ubi prolixam & accuratam Diſputat. de Duello, quam anno 1658 Altorphii habuit Cajus Rumohr Eques Holſatus, allegat, add. D. Samuelis Rachelii Anteceſſoris Chilonienſis *Diſſertat. d. Duellis.* Jus noſtrum Civile deteſtatur Duella; Sic enim CONSTANTINUS Maximo Præf. Prætor. reſcripſit *l. unic. C. d. gladiator. pen. tollend.* Cruenta ſpectacula in otio civili, & domeſtica quiete non placent, quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus. LUDOVICUS Sanctionibus pragmaticis deteſtatus eſt ejusmodi provocationes, vid. *Conſtit. de Duell.* apud Hotomann. *in verb. feudalibus* DIVI MATTHIÆ Imperatoris Edictum, quod anno 1617 Duella prohibet, verbotenus lege apud Theodor. Reinking. in der Biblischen Policey *lib.* 2. *pag. mih.*

mih. 665. GUSTAVUS ADOLPHUS Rex Sveciæ inter milites Duella ſuſtulit. Schwediſche Kriegs-Recht *tit.* 14. von Meuterey/Balgen oder Rauffen *artic.* 67. *&* 68. HENRICUS IV. Galliarum Rex Duella ſeverè prohibuit. Continuat. Thuan. *lib.* 2. *p.* 45. Tenorem ipſius vid. ap. Reinking. *c. l. pag.* 668 Eſt gravis Oratio EPISCOPI MOMPESSULANI ad Regem Galliæ, quâ damna ex monomachiis reſultantia demonſtrat, ibi: Tuam Majeſtatem ſupplices oramus, ut Galliam lamentantem & brachia ad Eam tendentem reſpiciat, quæ promptum remedium & antidotum adverſus hanc Monomachiarum peſtem, quæ ipſam internecinâ clade depaſcit, flagitat. Quot Subditos hoc remedio ſervaveris, tot coronis caput tuum exornabitur, eris inſtar arcus alicujus cæleſtis, qui diluvium ſanguinis ceſſaſſe, nec deinceps Galliam inundaturum ſignificabit; Denique familiis pacem & concordiam, Paci certitudinem, robur Galliæ, ſolamen Eccleſiæ, animas Deo reddes, & is tibi benedicet, vitam in multos annos prorogabit, efficietque, ut quanto ipſum Zelo & pietate coles, tanta Regnum tuum proſperitate floreat, Thuan. *lib.* 8. Sanè CAROLO V. non malè vertitur, quod FRANCISCO Galliarum Regi non comparuerit, Schleidan. *lib.* 6. METELLUS quoque Duellum à Sertorio oblatum inire recuſavit. Plutarch. *in vit. paralel. tom.* 2. *in vit. Sertor.* Nedum ipſos Provocatores plerumque eſſe infelices. Ut unum inſtar omnium proferatur ex Brunnero *lib.* 12. *p.* 406. Thraſo quidam INSUBER equo ad caſtra advectus, unde videri audirique poterat, equitandi imperitiam Germanis objectabat, id ſi convitium cuiquam videretur, ferro ſecum decerneret, vindicaretque gloriam ſuæ gentis: Simul haſtam coruſcans & docilem toto campo circumagens equum, oſtentatis omnibus equiſonum artificiis pro plauſu riſum collegit: Sua nihilominus ſententia victor, quod

de

de palma ſibi omnes concederent, multo ferocius in noſtros probra congerebat; quibus excitatus ALBERTUS Tiroliùs Comes, ut erat inermis & nudo Vertice, velitari duntaxat haſta & clypeo arrepto in eqvum inſilit, & vaniſſimo geſticulatori infeſtus ſe offert, oſtenſurus, ludificatio adverſus veram virtutem quid poſſet. Nihil arma Longobardorum, nihil, quibus tam impotenter triumphabat, volubiles in omnem partem flexus juvêre, quo minus cum Albertus excusſum eqvo arietaret in terram: Spolia tamen vitamque, quæ in Victoris erant arbitrio, Victo remiſit, ut ad gloriam parum momenti allatura. Egregiè dixit D. Haffenrefferus, teſte Albrecht. *d. S. cæn. concion.* 58. ad Duella tres pertinere; CLERICUM, CARNIFICEM & DIABOLUM. *Diabolum*, ut occiſi animam ad Cereris generum vehat; *Carnificem*, ut capite plectat Homicidam; *Clericum*, ut extremum Spiritum ſub manu morientis Homicidæ verbo divino conſoletur. Honeſta ſepultura in Duello occiſis denegatur, prout Carolus Scribanus *in politic. Chriſtianorum lib.* 2. *cap.* 41. ſentit: Defunctorum in Duello cadavera, Magiſtratus aut inſepulta volucribus relinquet, aut canum ſepultura donabit: à ſacratis verò locis omninò excludet. Bona etiam omnia utriusque partis Fiſco addicet. Allegant quidam factum Davidis cum Goliatho; Verùm illud non tam ad imitationem, quàm ad admirationem trahendum eſt; cum ſcilicet illud impulſu Spiritus Sancti provenerit. D. Danhauer *Colleg. Decal.*

POSITIO VIII.

Advocati ne ſine diſcrimine admittantur, cùm Ipſorum ſæpius malitiâ non tam promoveatur, quam corrumpatur Juſtitia.

Est equidem Advocatorum munus grave splendidumque in Republica, ut ANASTASIUS Imperator laudabile vitæque hominum necessarium advocationis officium prædixerit, maximeque principalibus muneribus remunerandum, *l. 4. C. d. Advocat. divers. judic.* & constat Viros in summa dignitate collocatos advocaturam exercuisse. Sic GERMANUS Caligulæ Pater, quem omnes Milites laudum præconiis extollunt, oravit Causas etiam triumphales, Sveton. *in Caligula. c. 3.* Sancti quoque referuntur fuisse Advocatos; Divum AMBROSIUM legimus undecim annis in foro causas egisse, eoque munere IVONEM LIPARDUM Divi Leonardi Magni fratrem functos, & in Sanctorum numerum relatos, Lud. Gomes. *in Orat. impressa post thes. 71. num 6.* Jacob. Benius *de privileg. JCtorum part. 3. thes. 71. num. 6.* Verùm Experientia testatur tales quoque inveniri,

Qui, ceu lubet, jus cereum
Torquent, retorquent, vellicant,
Quorum ministrant fraudibus
Digesta, Decretalia,
Codex, Novella, Rubrica,
Deni Glossa, Lex, Paragraphus;
Libellus atque Replica,
Mox Duplica, & mox Triplica;
Sic lis plicatur litibus,
Plicasque inexplicabiles
Plicis plicando complicant,
Ut explicari postea
Nullo queant negotio.

Nebul. Nebulon. Et suis coloribus depinxit Menæchmo *in Menachm. act. 4. sc. 2. v. 1. & seqq.*

Uti hoc utimur maximè more moro
Molestoque multum! Atque uti quique sunt

Optu-

Optumi Maxumi, morem habent hunc:
Clientes sibi omnes volunt multos:
Bonine, an mali sint, haud quæritant.
Res magis quæritur, quàm Clientium
Fides cujusmodi cluat.
Si est pauper, atque haud malus; nequam habetur:
Si dives malus est: is Cliens frugi habetur
Qui neque leges, neque æqvum-bonum usquam
Colunt: Sollicitos Patronos habent:
Datum denegant, quod datum est; litium
Pleni, rapaces: Viri fraudulenti:
Qui aut fœnore, aut perjuriis habent rem
Partam.

Vid. Dn. Hanau *d. Nobilit. quæst.* 69. Ideo FERDINANDUM non misisse Advocatos in Indiam, ne litium semina mitterentur, & non rarò dixisse: Ubi desunt Advocati, ibi etiam litigia desunt, scribit Bodin. *lib.* 5. *de Republ. c.* 1. add. D. Conring. *d. orig. Jur. German. cap.* 32. Placet plurimis Politicis illud Lucii Columellæ: sine Causidicis olim satis felices fuisse, futurasque urbes, quibus etiam concessum intra mœnia & in foro ipso latrocinium. Tolle, inquit Rodericus *in specul. human. vit. cap.* 18. phrænetico arma, præstabis ei vitam; Tolle cupidis litigandi ministros, simul tolles & lites. Cupit enim omnis artifex (ut Philosophus in Ethicis voluit) sua laudare opera simul & dilatare. Sic Poeta sua poemata laudat, á cunctis recipi optat. Sic faber (ut inquit Hieronym.) sua fabrilia tractat, studetque summoperè, ut totus orbis eis indigeat: Cytharista denique omnes exoptat dies esse fastos atque solennes: Armorum & machinarum artifex, nuptiarum aut pacis tempora infesta habet, & generaliter de pace non cogitat, qui cum bello lucratur. Nec aliter agit Advocatus; alienas cupit controversias, propinquorum etiam causas exagitat, qui suas non litigat: diffidendo, litigandoque lucratur,

qui mendicaret, si quietissimè omnes viverent. Et (ut paucis dicam) nunquam desunt lites, si sint qui lites cupiunt atq; sollicitant. Dantur Fideles, dantur quoque, qui arcana Clientum pandere non erubescunt. DEMOSTHENES propter crimē prævaricationis quinquaginta talentis multatus, & in carcerem à populo duci visus est, Menoch. *d. Arbitr. Jud. Quæst. lib.* 1. *Cent.* 4. *Cas.* 323. *num.* 5. Sed elapsus ipse ad Træzenem fugit in exilium. Ærod. *rer. judicat. lib.* 9. *tit.* 3. *c.* 2. OLDRADUS Criminis istius notatus fuit, qui præ nimio dolore, quod delictum fuisset detectum, decessisse dicitur Jul. Clar. *in princ.* §. *ult. quæst.* 7. *vers. Tergiversator.* Advocati, rabulæ scil. exosis istis exactoribus & publicanis non multùm dissimiles, Hierosolymis die 24 mensis Nisan relegati sunt, Schickard. *de Jur. Reg. Hebræor. cap.* 5. *theor.* 16. ubi addit Plur. Reverend. Dn. Carpzov. Utinam ex omnibus Rebuspublicis excluderentur, uti hîc Jerosolymis olim relegati dicuntur. Veri ergo, non simulati JCti in foro sunt admittendi. Practicum voco, inquit egregiè Joh. Garsias *in tract. de Expensis & meliorat ion. cap.* 17. *n.* 17. non circumforaneum Advocatum, merumque practicum, qui quæstui deditus, rudis & ignari vulgi imperitissimæque plebis auram venatur, qui sæpe magno pretio emtus, importunaque prece sollicitatus meras nugas respondet, veri juris ignarus, ejus duntaxat memor, quod aliquando in forum fortè per errorem irrepserit. Voco autem Pragmaticum, qui Juris scientiam veri profitetur, qui certis Juris regulis negotiorum veras circumstantias, varietates vicesq; cordate expendit, utrumque conferendo, veram Juris & fori praxin adeptus est; Hic verè Pragmaticus est. & Arnold. de Reiger *Thesaur. jur. in voce: Advocatus*, ex Hostiensi & Alberico de Rosate dicit: Rectos advocatos & judices, utentes legibus, prout debent meliorem vitam ducere, quàm Prædicatores, & alios religiosos.

POSITIO IX.

Justitiæ administrandæ Præfecti Avaritiæ vitio laborantes, ne præficiantur.

Cum avaritia gignat metum, metus odium, odium insidias, insidiæ interitum, quas res perpetua comitatur infamia, Keller *d. o. Jurid. polit. lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 286. benè Cassianus: Oblatio muneris tinea est Regiminis. Carol. Scribani *in Medico Religioso lib.* 3. *cap.* 26. *p. m.* 446. Judex proinde mundas servet manus DEO, REGI & LEGI, Novell. 17. *c.* 1. Romanorum judicum nomina ob hoc immortalitati sunt consecrata per Poetam Claudianum.

—— ——. contentus honesto
FABRICIUS parvo spernebat munera Regum,
Sudabatque gravi Consul SERRANUS aratro,
Et casa pugnaces CURIOS angusta tenebat.

Apud quos verò leges aranearum telis sunt similes, in quibus infirmiora animantia hærent, easdem verò valentiora perrumpunt, ut cum Petronio clamandum:

Quid faciant Leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?

Illi non curant damnum in conscientia, modò sit lucrum in arca; Oldecop. *d. jur. jur. in alter. anim. num.* 364.

Justitia cum desiit
In terris habitare,
Successit Status Ratio
Calamitatum mare:
Quid illa sit, Rex Jupiter
Non novit, sed noverunt
Qui eam tot miseriis
Patronam statuerunt.

O quam multos in Aulis novi, inquit Anton. d. Gvevara *in*

lib. Instit. vit. Aulic. cap. fin. qui amplissimas opes non quidem labore, sed falsis & dolosis practicis acquisiverunt, neque promerendo sed negotiando, nec bona conscientia, sed malis artibus, neque absque peregrini detrimento, sed cum proximi damno & dispendio, neque quoad sufficientiam victus & amictus, sed ad abundantiam, neque ut pauperibus benè fiat, sed avaritiæ satisfiat: Et quicunque in facultatibus accumulandis ita se gesserunt, corraseruntque, cumque injuria Proximorum sub recti tamen specie locupletiores facti, velut Sues saginati mortalitatem exuunt atque Mundo valedicunt. C. CATO duorum Clarissimorum hominum Nepos L. Pauli, & M. Catonis, P. Africani Sororis Filius & Vir Consularis ob nostri æris receptos CCCCL. coronatos, quod respectu talis viri leve est, repetundarum damnatus est, & Tarracone exulavit, Petr. Ærod. *rer. judicatar. lib. 9. tit. 3. c. 4.* HERMULAUS BARBARUS à Venetis ob accepta munera exulare jussus est, Petr. Theodoric. *Criminal. Disputat. 10. th. 3. lit. e.* Quisquis Judicum est, qui dona accipit, excæcatur; ut verissima sit sententia Angeli *in l. 2. ff. de Condict. ob turp. caus.* Si, inquit, totus mundus veniret, non posse credere, quod si una pars det, & altera non, Judex danti non sit naturaliter favorabilior. Imo non dans habetur aliquali odio; & si aliud non faciat, Judex saltem aliquamdiu stabit, & instruet dantem, & ei dabit gratiosas dilationes, & parti non danti nocivas. Væ Judici Munera accipienti!

Judicis æternâ damnentur lumina nocte.
Ovid. 3. *Metamorph.*

POSITIO X.

Asyla absque justitiæ dispendio concedi quidem possunt, non tamen prægnanti sine ratione.

Asylo-

Asylorum autor Deus est, *Exod.* 21. & *Num.* 35. Apud Judæos ex Dei constitutione tantum Homicidis Involuntariis, *Exod.* 21. *vers.* 13. Ethnici verò etiam Aliis immerito odio laborantibus subvenerunt; Sic Gylippus Laco apud Diodor. Sicul. *lib.* 13. *Bibliothec.* ait: Qui initio jura ista introduxerunt, infelicibus quidem misericordiam, at his, qui malo animo injuriam intulerunt, pœnam expectandam voluerunt. Hi verò, si dolo malo, si injusta alieni cupiditate in mala hæc inciderunt, ne accusent fortunam, ne supplicum sibi nomen imponant. Id enim jure illis debetur, quibus innocens est animus, irata fortuna. Horum verò vita factis plena injustis, nullum ipsis locum reliquit, qui ad miserationem & perfugium pateret. Non ergo aliis quàm innocentibus & immeritis tuta sint Asylorum perfugia, neque sanguis innoxius effundatur, Zepper. *LL. Mosaicar. forens. Explanat. lib.* 1. *cap.* 7. *p.* 43. Jan. Selden. *in Jan. Angl. p.* 9. D. Gerhard. *tom.* 6. *Locor. commun. p.* 909. Scimus tamen hodieque, verbis utamur Forstneri *ad Corn. Tacit. p. m.* 293. quibusdam in locis vetustatem Asylorum magis tutam improbitatem præstare; quàm justis solatiis explicare humanitatem. Ita ipsa Dei templa scelerum custodiam agunt, ad audaciam novorum facinorum & infamiam religionis. AUGUSTUS Asyla quædam sustulit, ne proposita immunitatis spes occasionem det perpetrandi facinora. Sveton. *in ejus vit.* ADONIAS cùm fugeret ad aram, inde retractus legitur 1. *Reg.* 1. *vers.* 50. Loca Asylorum in Germania, utpote est Sveciæ MONASTERIUM AD SALEM, ubi privilegium Asyli anno 1541. dem Gottes-Hause Salmansweiler ab Imperatore CAROLO V. concessum, Principale Monasterium Divitis Augiæ, das Fürstl. Gottes-Hauß Reichenau in lacu Bodanico prope Constantiam situm, ab Imperatore WENCESLAO concessum jus habet refugii, item libera Domus Mo-

Monasterii ADELBERGENSIS in Imperiali Civitate Eslingensi der Freyhof dicta, item Monasterium HIRSAUGENSE in Ducatu Wirtembergico, item Civitas Imperialis REUTLINGA, in medio Ducatu Wirtembergico sita, Aliaque loca plura Asyli jura habentia refert D. Nicolaus Mylerus ab Ehrenbach JCtus, Consiliar. Wirtembergic. *tract. de jur. Asylor. cap.* 6. adde D. Georg. Mæbii Theologi Lipsiens. celeberrimi Asylologiam Sacram *per tot.* D. Rittershus. *Dissert. d. Asylis.* Leibfrid. & Petrus Sarpus *d. jur. Asyl.* Jacob. Martin. *quæst. Illustr. Cent.* 7. *disp.* 1. *th.* 10.

CAPUT NONUM.

DE

FOEDERIBUS.

POSITIO I.

Fœderibus Amicitia Vicinorum stabilitur, Hostesque terrentur.

Nullus Rex aut Princeps aut Respublica est, cui non æmulū vel Adversarium excitarit Deus; ut inde fœderibus Imperantes carere non possint. Fœdera ergo sunt istud ipsum remedium, quô hostium conatus franguntur & prosternuntur, consilia callida & clandestinæ machinationes avertuntur, Warem. ab Ehrenberg. *d. Fœderib. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 42. Gregorius *lib.* 11. *d. Republ. cap.* 11. Cum auxilia mutuo in uno quasi corpore cohabitare videantur. Alberic. Gentil. *lib.* 3. *d. Jur. Bell. cap.* 18 Iisque alienas vires nostras faciamus, metumque injiciamus aliis, Saavedr. *Symb. polit.* 84. Nec quicquam tam communem totius Regionis pacem, adversus Extraneos hostes aut Incolas illius quosdam illi insidiantes tuetur, quàm omnium vel præcipuarum illius Regionis Urbium fœdus & Syncretismus, Polyb. *lib.* 4. *Hist.* Cives omnes

LAIDARUM repentino bello ac servitute oppressi fuerunt, propterea, quod nec principum, nec ullam cum finitimis societatem aut amicitiam contraxissent, *Jud.c.*18. CONSTANTINO PALÆOLOGO, Imperatori Constantinopolitano fœdus & auxilia Venetorum in periculo etiam præsentissimo respuenti, à Mahumete Turcarum Rege ademptum est Imperium Orientale Universum, Feschius *dissert. d. Fœderib. th.*1. Contra verò Major LUCENSIBUS dicitur esse securitas in fœdere Clientelari cum HISPANIARUM REGE percusso, quam si decem quotannis Legiones propriis alerent stipendiis, vix enim ullus Vicinorum ipsis inferent manus, quin illicò armorum ex Hispaniis, Regno Neapolitano vel Mediolanensi advolantium metuere necesse habeat violentiam, D. Lebleu *d. Fœderib. th.*12. NOBILIUM BELGICORUM 400 Catholicorum pariter ac Reformatorum anno 1565. contractum fœdus, quod liberum Religionis exercitium respiciebat, tantum effecit, ut, quod potentissimus Hispaniarum Rex supplicantibus antea negaverat, militantibus concedere coactus fuerit, Chytræus *in Saxon. lib.* 25. *pag.* 695. GALLIÆ & HISPANIÆ REGES anno 1660. fœdere inito voluerunt sinceram amicitiam incedere inter Christianissimum & Catholicum Reges, Eorumq; Heredes & Successores, Regna & Subditos, Constit. Pac. Gall. Hispan. *art.*1. quamvis hoc suum habuerit fatum. Verum ergo est, quòd nihil aliud, quàm pia & æterna pax sit in fœdere, Zas. 2. *Consil.* 1. *num.* 4.

POSITIO II.

In pangendis fœderibus Prudentia & maturo Consilio opus est

Prudentia rerum civilium omnium est gubernatrix, Macrob. *lib.* 4. *in somn. Scipion.* Sed cavendum est Regi, ne

 sibi

ſibi benè fidens, tantum prudentiæ ſuæ attribuat, ut ſe monentibus claudendas eſſe aures exiſtimet, Lebleu *d. Instruct. futur. Consil. disput.* 1. *th.* 2. Vir quantumvis ſapiens, Conſilio tamen alieno ſemper indiget, Anton. d. Gvevar. *Horol. princ. cap.* 29. conſilia causâ potius cum ratione, quàm proſpera ex cauſa amplectenda Tacit. *lib.* 18. In deliberandis fœderum negotiis præcipua fundamenta ſunt *Justitia Causæ, Vincendi Facilitas, Fructusque Victoriæ*, Sanſovin. *in monit. polit.* 218. Cavendum inprimis, quantum poſſibile, ne potentia paciſcentes obcæcentur, adeò, ut & Impiis, ſceleratis, & omni vitiorum genere ſe inquinantibus ſeſe aſſocient, Wahrem. ab Ehrenberg *d. fœder. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 120.

Ut enim conſcendens navem prius Vir
Cum Sociis navigationis, qui ſunt verſuti & improbi,
Perit unà cum genere hominum, quod Deo inviſum eſt,
Aut inter Cives verſans juſtus,
Qui violant jura hoſpitii, & Dei ipſius immemores ſunt,
Deprehenſus in eadem venatione,
Percuſſus Dei flagello communi domatur.

Ars peſſimorum hominum eſt, qui calamitatibus aliorum benevolentiam ſibi conciliant, quod fecit ABILYX ille Hiſpanus apud Polybium *lib.* 3. *c.* 98. Rupert. *Obſervat. ad Flor. lib.* 4. *c.* 2. Neque cum nimis afflictis ferienda ſunt fœdera, Tu ſi ſapis, ait Lucanus,

Fatis accede Deisque
Et cole felices;

In caducum parietem ne inclina. Juvandi, tamen ſunt miſeri & oppreſſi; ſi non palam, occultè tamen; Bodin. *d. Republ. lib.* 6. *cap.* 6. Eleganter Seneca:

Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido Lare
Protegere.

Vetus

Vetus illa calamitas, societatem alterius palam induere, ad alterum per occulta & fida magis inclinare, Tacit. *d. Morib. German.* 12. *Annal.* Nec cum Potentioribus facilè sunt paciscenda fœdera. Unde Tacit. *lib.* 21 *Annal.* inquit: Religio sit, jungere nos fœdere potentioribus, crescunt indies potentium desideria, omnisque eorum prudentia ad gloriam statusque augmentum proritatur. Quotq́ eorum actiones, tot leges, à vi aliarum immunes. Pacta non servando fidelitatem contestantur, cùm æquitati repugnet, fidem alii servare, quæ propriæ inprimis coronæ dicata est. Perfidia quoque non rarò Virtute coloratur: Et vitio vertitur servare fidem, cujus vis autoritati conservandæ contraria est, Liv. *lib.* 25. *histor.* Potentiores plerumque sunt Interpretes fœderum; ut Demosthenes dixerit: Qui rerum potiuntur, imbecillioribus jus interpretantur & definiunt. Elegans est fabula, quam ex jucundo pariter ac utili scripto, quod inscribitur Froschmeuseler *lib.* 3. *p.* 1. *c.* 5. adfert D. Lebleu *in Instruction. futur. consil. Dissert.* 6. *n.* 8. Eqvus ait, bello à Cervo petitus, seque inferiorem videns, hominem in auxilium vocavit, qui & hoc ipsi promisit, si modò frænum injici sibi pateretur. Victoria hisce legibus obtenta, eqvus omnia jam parata, nihilque amplius superesse existimat, quàm ut homini pro lato auxilio agerentur gratiæ. Verùm longè ipsum spes fefellit. Fræno enim, quo turdi instar, sibi malum cacaverat, in perpetuam redactus fuit servitutem. Hermocrates Syracusanus apud Thucyd. in quadam oratione eleganter tractat locum: de non accersendis temerè sociis potentioribus in dissidiis publicis aut arbitris potentioribus. Clientelare ergò fœdus omnium periculosissimum est, Bodin. *lib.* 5. *cap.* 6. ROMANI per speciem fœderis redegerunt in servitutem Latini nominis homines, Machiavell. *lib.* 2. *de Republ. c.* 13. SOLIMANNUS anno 1540 auxiliorum prætextu HUNGARIÆ viscera oc-

cupavit, Comitiol. d. anno 1654 *Trajectum ad Mosam, Cameracum, Tullum, Metin* atque *Verdunum* ea occasione libertatem amisisse, animadvertit Besold. *Dissert. de Fœderum Jur. cap.5. th.6.* ÆQVALIA FOEDERA cæteris sunt validiora; Olim apud Romanos fœderati unus populus alteri fœdere juncto superior non erat, Liv. *lib.4. Dec.* 4.ibi: Cùm pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent: Neque Eorum coitio caret suspicione vel controversiis, Gvicciardinus. Ejus rei, inquit Cominæus *lib. 2. Comment.* multa ipse vidi & cognovi documenta. Sic enim est inter homines comparatũ, ut facilè suscipiant inimicitias, neq; respiciant ad eum, qui ferè comitari solet, tristẽ & luctuosum exitum. Mea sic est sententia, ut existimem, eum, qui solus habet in potestate decem hominũ millia, magis esse metuendum, quàm decem fœderatos, qui singuli senis millibus præsunt. Caveat Inferior, ne adversus Principem cum hostibus fœdus ineat, id enim pro crimine læsæ Majestatis habetur, Farinac. *d. Crim. les. Majest. quæst.* 113. Sub titulis favore & dignitate plenis sæpe aliquid mali latet. De GREGORIO IV. Pontifice Abbas Urspergensis sub finem Chronici ait: Papa verò captata occasione de absentia Imperatoris (in Passagio versantis) copiosum Exercitum destinavit in Apuliam, & terras Imperatoris in servitio Christi demorantis, quod nefandissimum est dicere, abstulit, & sibi subegit: & cruce signatos ne transfretarent, omni studio prohibuit, tam in Apulia, quàm in Longobardia. Quis ejusmodi facta rectè considerans non deploret ac detestetur, quæ indicium videntur, & quoddam portentum & prodigium ruentis Ecclesiæ. Hic est Pontifex, qui Passagium convocaverat, Cuspinian. *in Frideric. II.* Lebleu *d. fœder. th.* 24. Tutiora quoque sunt fœdera cum paucis, quàm cum pluribus. Cum multis amicitia nemini intercedere potest, monente Aristotele. Unde Gvicciardin. *II. histor.* inquit: fœdera inter multos

eâ

eâ firmitate non esse,ut sperari non possit,unum fœderatorum aut remissiorem fore,aut ab aliis disjunctum iri: cum citò primi impetus defervescere,citò varietate sententiarum inter eos exortâ,fides debilitari soleat,Forstner. *ad Tacit.pag.* 42. nisi quædam Respublicæ non adeo magnæ fœdera inter se pangant. CIVITATUM HANSEATICARUM fœdus ab initio 80 continuit, Thuan. *lib.* 51. *histor.p.* 838. ex earum numero cum anno 1418 ejectæ fuissent 14, adhuc 66 in societate hac manserunt,Dresser. *d. Urbib. German.p.*626. PERPETUIS FOEDERIBUS nihil perniciosius esse statuit Bodin. *lib.* 5. *d. Republ. cap.* 6. Unde Fœdera inter Principes sint temporalia,inter reliquas verò Respublicas perpetua,prout existimat Mager *d. Advocat. armat.c.*9. *num.*331. ATHENIENSES & ARGIVI,& MANTINEI,& ELEI in annos centum fœdera fecerunt, Thycidid. *lib.* 5. *Histor.* Romanis ita placuit, tali formula: ROMANIS atque omnibus LATINIS URBIBUS inter se pax esto, donec cœlum terraque eundem habebunt statum,Sabell.8. *Enn.* 2. Wahrem. ab Ehrenb. *d. fœder. lib.* 2. *c.* 1. HELVETIOS inter Aliosque status & Civitates fœdus factum est perpetuum per instrumentum sub dato Brunnen anno 1315. vid. Simler. *d. Republica Helvetior. l.* 1. Consultius tamen est,fœdera longo tempore non pangere, sed certum exprimere tempus; quia prout est rerum mortalium conditio,multa intervenire possunt,quæ Imperantium mentem pro ipsorum commodo mutent & intervertant. CAUTIO idonea est in feriendis fœderibus, ut à parte suspecta munitæ Urbes aut arces aliquot, velut pignora in alterius partis, vel si hoc minus tutum videatur,in tertii cujusdam,veluti Sequestris,manus consignentur ad tempus,Forstner. *ad Tacit. p. m.* 220. BURGURDIA cum Rege Regnoque Anglicano fœdus contraxit, in quo Angliæ Urbes quatuor pignoris loco fuêre constitutæ,Comm. *lib.* 6. *cap.* 6. Cautela

quoque est, ut causa fœderum cum Regni proceribus communicetur, ne ob intermissum Statuum consensum infirmitatis argui possint, Alberic. Gentil. *d. Jur. bell. 1. cap.* 3. Prudentiæ politicæ est, Principes ipsos ad fœdera non congredi, sed talia negotia per Legatos tractari, ita Cominæus *lib.* 2. *c.* 8. Periculum Magnates audent, cum in colloquium veniunt ipsi, decursis præsertim Adolescentiæ annis, jocisque & lusibus, quibus ea ætas est dedita, æmulatione succedente, neque sine periculo contingat, neque si id absit, operæ pretium aliud sit, quàm invidia odiumque majus. Sicut commodius putem, controversias inter Reges, & si quid aliud negotii est, per Legatos Viros prudentes componi, ipsos vitare colloquia ea, si salvam amicitiam cupiunt. Fieri enim non potest, quin inter Aulicos de præteritis sermo recurrat, non absque molestia jurgiisque. Aliis splendidior sit cultus necesse est; inde joci salesque; Lingva, moribus, institutisque discrepantibus eadem placere quî possint? Princeps alter altero honestiori facie, decentiorique cultu est: illi prædicari à multitudine jucundum est, vituperari ingratum alteri. Dimisso conventu hæc jactantur, primùm occultè, deinde palam & in Circulis. Nihil enim tam arcanum est, quod non efferatur in vulgus prodeatque.

POSITIO III

Fœdera cum longe dissitis inita, sunt inutilia.

Cum vix unquam in tempore auxilia nobis transmittant, Forstner *ad Tacit. lib.* 12. *in not. pag. mih.* 115. & propterea sunt improbanda, Warem. ab Ehrenberg. Vicinorum Principum Amicitia ingens potentiæ firmamentum. Quemadmodum in terræ & maris orbem Luna plus agit, quàm pleræque stellarum, quia vicinior; ita & de finitimorum vi

cen-

censendum est. VENETI Pisarum, ut nimis dissitarum, protectioni renunciarunt: cum nempe viderent, eam esse difficilem, & multas requirere expensas, Besold. *d. Jur. Fœder. d. c. num.* 11.

POSITIO IV.

Cum Ethnicis & Infidelibus certo modo possunt feriri fœdera.

Scilicet quæ sunt pacis & commerciorum. Eatenus, quatenus verum Dei cultum non eunt perditum, sed statum politicum respiciunt, Dedeken. *Vol.* 2. *Consil. Sect.* 10. *num.* 1. Tam fas quàm justi sunt alii ex jure gentium contractus, D. Danhauer *p.* 2. *Spec. Theol.Symbuleut. dial.* 3. *Symbol. Regn. Christ. quæst.* 14. VVurmser. *exercit. jur. publ.* 8. *quæst.* 6. Quemadmodum ABRAHAM cum AMUREO & ESCHOL *Gen.* 14. *vers.* 13. SALOMON cum REGE TYRI 1. *Reg.* 5. *vers.* 1. *&* 12. ULADISLAUS Hungariæ & Poloniæ Rex cum AMARATHE Turcarum Imperatore, VVarem. ab Ehrenberg *d. fœder. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 36. Imò fas esse principi Christiano pro sui suorumque bonorum tutela fœdus inire, ac amicitiâ infidelibus jungi, ab iisque auxilium efflagitare, etiam adversos alios Principes Christianos *iniquè* nos offendentes, docent Olradus de Ponte *Consil.* 71. & Decian. *Vol.* 3. *respons.* 10. quod probat Besold. *Dissert. d. fœder. jur. Cap.* 4. *th.* 2. Unde Pontificis svasu ALPHONSUS II. Neapoleos Regem contra Regem Galliæ CAROLUM VIII. iteratò auxilium petiisse narrat Gvicciardin. *lib.* 1. *Histor.* Non autem licet cum Infidelibus & Turcis icere fœdus contra Fideles communi Marte oppugnandos, Danhauer *d. l.* Octav. Cacheran. disp. sing. quæ juncta est Ejusdem *Decisionib. Pedemont.* VVurmser *d. l. quæst.* 7. FRANCISCUS Galliarum Rex moriens exclamasse dicitur: Perii, heu Perii! quod volui esse fœdera-

deratus ei, qui hoſtis eſt Chriſtiani nominis, Schleidan. *lib.* 15. Cardinali Gviſio ſuggerente Conſolationem ex ſacris literis, omnis inquit, miſericordia mihi clauſa eſt; qui ut æmuli mei vel gloriam infuſcarem, vel vindicarem injuriam, fœdus pepegi cum Turca, & Chriſtianorum Capita tanquam armenta ad Mahometanam ſervitutem vivus videnſque paſſus ſum abigi. Schönborn *lib.* 4. *Polit. cap.* 36. adde Lanſium *in Orat. contra Galliam.* BETHLEMI Legatus cùm ſuperioribus annis ad Regem Daniæ, Ducem Chriſtianum Ordinumque Inferioris Saxoniæ Delectos miſſus, eleganti Oratione ſubſidia & Legationem nomine omnium ad Portam Ottomannicam ſuperbè non minus, quàm pro Chriſtianis impiè poſtulavit, quibus habitis inſignem Cæſari cladem non in Imperio, ſed in hereditariis Provinciis Auſtriæ, Moraviæ, Bohemiæ & Styriæ inferendam pollicitus eſt, Carol. Caraffa *Commentar. d. German. ſacr. reſtaur. pag. mih.* 278.

POSITIO V.

In Fœderibus verba & Syllabæ non ſubdolè ſunt aucupandæ.

Sycophantia ſeu nimis callida & malitioſa legis aut pacti interpretatio quæ dicitur Dürr. *in Ethic. Inſtit. part.* 3. *ſect* 2. *c.* 12. maximoperè dedecet Principem cordatum. Ambiguitas verborum omniſque fraus in interpretando vitanda eſt. Nilq; gravius Viris paciſcentibus accidere poteſt, quàm illa, quæ clara & erecta eſſe debent, cavilloſis Gloſſematis, minutiis anilibus & pueris vix dignis ambagibus velle deſtruere, Liv. *lib.* 5. *Hiſtor.* Ut autem quemvis, ita inprimis Principem ſumma ope niti decet, ne quemquam factis ſuis decipiat, Tiber. Decian. *Conſ.* 2. *num.* 110. Autorve fraudis ſit ac circumventionis, Ludovic Roman. *Conſil.* 298. *n.* 3. TRACES pa-

cti

cti inducias dierum aliquot noctu populabantur Bœotiam, ut narrat Strabo. Athenæus refert IPHICUM, cum Rhodii deditionem fecissent, ita ut cum certo numero navium abire ipsis liceret, imposuisse eos in naves sine remis & velis. Philip. Melanchton *in Ethic. pag* 373. *qui plura ibi collegit exempla.* HATTO Episcopus Moguntinus cùm Ludovici III. Imperatoris nomine Alberto Franconiæ Comiti, quem Ludovicus in Urbe Bamberga obsidebat, promisisset, si ad colloquium cum Ludovico ab urbe descendisset, in Bambergam se eum incolumem restituturum. Postquam Urbe egressus esset Albertus, Hatto, quia hora tardior videretur, satius esse prius prandere, dixit, moxque ad Ludovicum ab arce descendere. Pransi, cùm ad Ludovicum descendissent, Albertus captus, securi percutitûr. Cum autem perfidiæ argueret Hattonem, is respondit: Se eum incolumem reduxisse in Urbem, cum pransum cum eo profectus esset, & quia semel tantum se eum restituturum promiserat, idque servasset, injustè illum queri de violata fide, ex Fulg. *lib.* 7. *cap.* 3. refert D. Lebleu. *d. fæder. th.* 98. Non parum Imperatoris CAROLI V. Majestatem Atrebatensem Ejus Consiliarium collutulasse, lubet verbis Matth. Berneggeri *Observat. Miscellan.* 24. memorare. Cùm Carolus Mauritio Saxoni & Brandenburgico Electori, per Christophorum Ebelebum recepisset fore, ut PHILIPPUS Hassiæ Landgravius, si se sisteret supplexque veniam peteret, in integrum restitueretur, nec in ullam captivitatem (in einige Gefängnis) conjiceretur, Hassusq;, Genero suo, Saxonis & Septemviri fid em secutus, paruisset, nihiloque minus Captivus attineretur: hic fidem illorum antestatur. Illi porro magna contentione apud Cæsarem docent, quantum ad suam existimationem pertineret, Cæsarem promissis stare; Cæsar ab Attrebatensi inductus, quid ipsi promiserint Hesso, se ignorare respondit.

Se quidem caviſſe illi,non quod omnino non eſſet detinendus; ſed quod perpetuo carcere attinendus non eſſet, nam Atrebatenſis, cum ſcriptum eſſet, Einige Gefängnis/duabus literis i & n in unum organum germanicum w contractis fecerat, ut eſſet Ewige Gefängnis. Itaque proſodia aulica unius literulæ inversâ per cavillationem formä,& Ebelebum, & Fidejuſſores,& ipſum etiam Haſſum deceperat, multòque annorum carceri mancipaverat. Ex qua re Ebelebus,quem internuncium fuiſſe diximus,tantum dolorem cepit,ut paulo pòſt ex mœrore deceſſerit, add. Clapmar. *lib. 6. d. arcan. Rerumpubl. cap.* 21. Schleidan. *lib.* 9. *Carol. Molin. tom.* 1. *conſil.* 18. Spangenb. *Chronic. Sax. c.* 383.

POSITIO VI.

Fœdera ſæpius renoventur.

Ad emolumentum Reipublicæ ſpectat temporaria renovare fœdera, maximè ſi inita fuerint cum pacto de novando,ſi, placuerit. Fœdus ſempiternum inter DANOS & HOLSATOS redintegratum Ottoniæ ſumma cum lætitia anno 1580, ut quisquis Holſato Hoſtis declaratus ſit, idem Dano ſit inimicus, & contra, Warem. ad Ehrenberg *d. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 37. Beſold. *d.l.c.* 5. LUDOVICUS XIII. Galliarum Rex anno 1610 renovavit fœdera *Hiſpanica* per Ducem Feriaceum; *Britannica* per Wotonum: *Archi-Ducalia* Flandriæ per Comitem Buqvyum, D. Goekel. *d. Europæ. Regib. cap.* 17. *th.* 12. TURCA ad Regem Galliæ anno 1618 miſit Legatum ad renovandum fœdus, quo juncta gens Ottomanna Gallorum Rebus. Inter GALLOS & ANGLOS anno 1620 novo ſacramento fœdus renovatum eſt,Grammond. *Hiſtor. Gall. lib. p. m.* 203 & 274. REX GALLIÆ anno 1624 cum BATAVIS,& anno 1659, ut & anno 1663 cum HELVETIIS jurato renovavit fœdus.

POSI-

POSITIO VII.

Fœdifragium neutiquam est committendum.

Equidem Machiavellus *cap.* 18. Principem suum malè informat, quasi ad omnem ventorum & fortunæ conversionem versatile ingenium habeat Princeps sit necesse, & ab eo, quod bonum est, non discedat; at si necessitas urgeat, edoctus sit & malum avertere. Verùm, cum juris & Naturæ, & secundum rectæ rationis dictamen sit, ut pacta serventur, Moron. *d. Freuga & Pace quæst.* 17. *n.* 2. nefas est fallere fœdus eorum aut mentiri, postquam de pace transactum fuit. Schickardus *de Jure Regio Hebræor. cap.* 5. *theor.* 17. *ibique* Dn. Lic. Joh. Benedict. Carpzov. Pessimi sunt, qui Principum aures venenant, & suadent, ut omnia recta & honesta negligant, dummodo potentiam consequantur, Cic. *lib.* 3. *off.* qui intermortuum illud recoqvunt ex Euripide:

Si violandum est Jus: Imperii gratia
Violandum est. Aliis rebus pietatem colas.

Lipf. *Civil. doctrin. lib.* 2. *cap.* 14. Nota est LYSANDRI levitas, qui fide & juramentis, sicuti pueri stragulis, lusit, teste Plutarch. *in ej. vit.* add. Baudii Orat. quam sub persona Belgii Ordinum ad Jacobum I. Britanniæ Regem de non ineundo fœdere cum Hispano habuit. Aristoteles Regem ALEXANDRUM hortatus est, ut datam fidem, & quæ cum aliis iniisset, formassetque fœdera, sanctè tueretur. Quemadmodum enim fides tanto splendore præfulget, ut sine ea omnes Regum & Principum Virtutes obscuriores fiant, Francisc. Patric. *lib.* 8. *d. Regno tit.* 20. Ita Famæ ac fidei damna majora sunt, quàm quæ æstimari possint, dicente Livio. Confer *Caput Ultim. posit.* 5. Alciatus Principum fœdera confert testudini, in quâ, cùm una solummodo chorda discrepare incipit, tota harmo-

nia turbatur. Est autem DEUS omnino fœderum arbiter & testis, Livius. *lib.* 1. *Dec.* 3. *p.* 9. *lit. c.* ut perfidiæ fœdi & funesti plerumque soleant esse exitus, Joh. Nevizan. inter Consilia Alberti Bruni *Consil.* 12. *col.* 5. Punitus legitur universus ISRAEL triennali fame, 2. *Samu.* 21. 1. quòd SAULUS fidem fregisset, quam Josua Gibeonitis pridem dederat, *Jos.* 19. 15. nec potuit hæc fraus aliter quàm suspendio filiorum regis expiari. Schickard. *d. jur. Reg. Hebræor. d. l.* Tullus Hostilius Ruptorem fœderum METIUM SUFETIUM religatum inter duos currus pernicibus equis distraxit, Albamque ipsam, quamvis parentem, æmulam tamen diruit, Flor. *lib.* 1. *cap.* 3. ANNIUS Prætor, cùm adversus Romanos rupti fœderis perfidiam exprobrantes, numina Dei petulantius sprevisset, moxque ira commotus à templi vestibulo citato gradu sese proriperet, lapsus per gradus capite graviter offenso, ita impactus imo est saxo, ut soperetur, Liv. *decad.* 1. *lib.* 8. Fœderum ruptoribus eadem Numina, eadem facta sunt expectanda, quæ expertus olim ULADISLAUS Hungariæ Rex, Rupert. *in Observat. ad Flor. lib.* 3. *c.* 11. Quam historiam post Bonfinium *dec.* 3. *lib.* 6. Georg. Franzes *lib.* 2. *c.* 18. Chalcondyl. *lib.* 7. Jovium *lib.* 2. in Amur. Levenclaj. *in Pandect. Turcic.* conceptis verbis memorat Polyhistor Argentinensis Berneggerus *in eleg. Observat. Miscell. Obs.* 23. Pax, ait, decennalis inter Uladislaum Hungariæ, & AMURATHEN Turcarum Reges erat sancita, ac jurejurando, nostris in Evangelio, illis in Alcorano firmata: Verùm haud multò pòst rupta turpiter, instinctu Juliani Cardinalis, Legati Pontificii, negantis valere fœdus inconsultò Papa cum hostibus religionis percussum. Amurathes itaque, cùm suos in pugna Varnensi ab Uladislao Rege, qui violato fœdere prior bellum fecerat, non sine magna cæde fugari conspicaretur, ad expiandæ fidei violatæ piacula, ad ulciscendam Christianorum perfidiam,

&

& ad recissæ pacis jus vindicandum, depromtum è sinu Codicem initi fœderis explicuit, intentis in cœlum oculis ingeminans: Hæc sunt, Christe crucifixe, fœdera, quæ Christiani tui mecum percussêre, per Nomen tuum sanctè jurarunt: datamque sub Nomine tuo fidem perfidè violarunt. *Nunc Christe, si tu es Deus, ut ajunt, tuas measque injurias hic ulciscere: & his, qui nomen tuum nondum agnovere violatæ fidei pœnas ostende.* Vix his dictis pugna, quæ primùm anceps, inclinare cœpit; ac primùm Proceres, Episcopi Varadiensis & Agriensis, mox Julianus Legatus, violati fœderis Suasor & autor cecidere: Postremò Rex Uladislaus ipse telorum imbre confertissimos inter hostes prostratus est: Cujus caput abscissum, hastæque affixum, Amurathes pro vallo statuit, cum acerbâ hac exprobratione: Tales justus Deus pœnas, exauditis Turcarum imprecationibus, à perfidis Christianis exegit. Poeta Regem de seipso loquentem inducit in lapide sui monumenti:

Romulidæ CANNAS, ego VARNAM clade notavi,
Discite Mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

SIGISMUNDUS Imperator suasu Patrum Concilii Constantiensis, cùm contra Turcarum Imperatorem rupto fœdere bellum suscepisset, ingenti clade accepta, prostratus est, Bodin. *lib.* 5. *d. Republ.* Neque injustæ causæ pacta fœdera justè aut impunè violari, notatu lectuque digna est historia Joannis Burgundiæ Ducis, quam ex Chronic. Heduor. *lib.* 4. adducit D. Jacobus Schultes JCtus *in accurato Tractat. d. fide Hæreticis religiosè servanda num.* 207. Is (scilicet Joann Dux) posteaquam graviter Gallos bello afflixisset, Lutetiam Parisiorum vi cepisset, multosque in Ea Episcopos, Sacerdotes, Doctores, Studiosos, & Cives miserrimè trucidasset, totamque diripuisset Civitatem, tandem Galliæ Rex transactis rebus,

 pacem

pacem cum Eo fœdusque firmavit,quod,ut eò sanctius haberetur, ambo hostiam sacram è manu Sacerdotis ad altare divisam sumserunt. Contra hanc fidem datam paulo pòst Dux Burgundiæ,Regè inspectante,decollatus est,cujus Filius PHILIPPUS vindictâ necis paternæ adductus,societatem cum Rege Angliæ iniit,& universum Galliæ Regnum tanto incendiorum ac direptionum successu devastavit,ut Parisiorum Vrbem expugnaret, multisque millibus in ea cæsis regnum ferè ad internecionem depopularetur, Regem denique ipsum in tantas redigeret angustias,ut is aliquandiu relicta Gallia cogeretur exulare. Vt hinc cum Silio *lib.* 11. exclamandum sit:

Audite, O Gentes,nec rumpite fœdera pacis,
Nec Regnis postferte fidem!

Juxta Senec. *in Theb.*

Quoties necesse est fallere,aut falli à suis,
Patiaris potiùs ipse,quàm facias scelus.

De fide inter hostes servandâ eleganter agit Hugo Grotius *lib.* 3. *d. jur. bell. & pac. cap.* 19. *n.* 1. *& seqq.* An propter Utilitatem Reipublicæ, vel ob præclaram rei gerendæ occasionem fidem hostibus datam fallere liceat? Lege orationem censente D. Azaria Sturz *Rostochii* à Friderico Rovenhagen *anno* 1614 *habitam.* Perjuria quomodo punita vid. Alex. ab Alexandr. *lib.* 5. *gen. dier. c.* 10. Philostrat. *in vit. Apoll. lib.* 1. *c.* 4. Gaudent. Merul. *lib.* 3. *memorab. c.* 3. Macrob. *lib.* 5. *Saturnal. cap.* 9.

POSITIO VIII.

Confraternitates de vicissitudinaria Principatuum & patrimonii obventione ad gloriam stemmatis faciunt.

In

In bonis enim avitis & castellis gloriantur Agnati, in iisque splendet eorum Nobilitas, Heric. Breulæus *d. renunciat. filiarum cap. 4. Cas. 2. num.* 7. de conservanda enim hereditate in familia agit ejusmodi Pactum, quod valet, Anton. Faber *in Consult. d. Montisferat. Ducat. part.* 1. *p.*109. *&* 110. Tale pactum non solùm mutuæ successionis, quàm hæreditatis inter THURINGIÆ & HASSIÆ PRINCIPES institutum anno 1226. Warem. ab Ehrenberg. *d. fœder. c.* 2. *num.* 35. JCti Ingolstatienses *Vol.* 1. *Cons.* 9. anno 1373. item anno 1433. nec non anno 1457. idem renovârunt, quæ pacta CAROLI IV. SIGISMUNDI, FRIDERICI III. CAROLI V. FERDINANDI & MAXIMILIANI. Imperatorum autoritatibus confirmata sunt, teste Knichen *d. Saxonic. non provocand. jur. in verbo Electorum Cap.* 2. *num.* 62. Quibus se MARCHIONES BRANDENBURGENSES in anno 1587. junxerunt, salva tamen conventione cum Ducibus Pomeraniæ anno 1323. inita, Knichen. *d. l. num.* 72. Hujus pacti conditio superioribus annis morte ultimi Ducis Pomeraniæ extitit. Limn. *in jur. publ. lib.* 4. *Cap.* 8. *num* 175. Renovatum est illud pactum Naumburgi anno 1555. Schleidan. *lib.* 26. IOHANNES FRIDERICUS II. IOHANNES WILHELMUS, & IOHANNES FRIDERICUS III. Duces Saxoniæ, & VVILHELMUS GEORGIUS, GEORG. ERNESTUS & PAPPO Principes Hennebergenses anno 1554. pactum de invicem succedendo inter se pepigerunt, ut HIS deficientibus Comitatus Hennebergicus ad Duces Saxoniæ devolveretur: & contra, HI superstites succederent in destrictu Coburgensi, Spangenberg. *lib.* 5. *Historiarum Henneberg. c.* 53. *p.* 272. Pactum istud Imperiali approbatione, principibus Confœderatis AUGUSTO Saxoniæ Electore & PHILIPPO Hassiæ Landgravio consentientibus à MAXIMILIANO II. in persona

IOHAN-

IOHANNIS WILLHELMI Ducis Saxoniæ anno 1572. & 1573. renovatum, ex qua prætensione anno 1583. extinctâ familiâ Hennebergicâ Comitatum istum Saxoniæ Duces ad se receperunt, prout constat ex Reisner. *Vol.1. Consil.* 3. Controversia, quæ cum Serenissima Domo Saxonica Illustrissimis Comitibus Stolbergensibus propterea intercessit, atque in supremo Germaniæ Tribunali ventilata fuit, cum HI bona ista ex Fideicommisso prætenderint, cum Duabus Lineis compositione amicabili in anno 1672. sopita est. Id quod ab una parte adhuc restat, sub incude est, ut res omnimodo componatur. Inter POLONIÆ, BOHEMIÆ, HUNGARIÆ REGES eadem intercedit confraternitas Chytræ. *in Chron. Saxon. lib.* 12. Goldast. *d. Bohemia fol.* 718. Inter FERDINANDUM II. Imperat. & UDALRICUM Ducem Wirtenbergiæ anno 1534. Cadæ in Bohemia pactum initum, & anno 1599. Pragæ declaratum est, quo Archi-Duces Austriæ expectativam Ducatus Wirtenbergici acqvisiverunt, D. Nicol. Myler *d. Statib. Imper. capit.* 25. add. König. *in theatr. polit. part. 1. c. 5. n.* 49. Fesch. *d. fœder. thes.* 24. *lit. c.* Bartol. Muscul. *de confratern. th.* 7. 8. *&* 9. Limnæ. *lib.* 4. *jur. publ. c.* 8. *n.* 153. Ritter *de Confratern. th.* 10. Erasmus Georgius Brem *de Successionibus ex pacto.*

POSITIO IX.

Inducias seu Armistitium, quisquis dubium experitur Martem, quantum potest, paciscatur, ex iis enim tandem oritur Pax.

Nocivas dicit inducias Didac. Saavedr. *Symbol. Polit.* 98. cum solùm iras tantisper suspendant, & interim dent spatium enses acuendi & lanceas. Ast cumprimis diligenter est observandum Rerumpublicarum Moderatoribus, ne

ut

ignorent eorum consilia atque proposita, qui vel inimicitias finiunt, vel amicitias ineunt, quando nimirum tempori cedentes, quando item revera animis fracti pacem faciant; ut ab illis quidem caveant, tanquam ab insidiatoribus temporum; his verò fidem habeant, & si quid inciderit, tanquam veris amicis aut subditis imperent, Polyb. *lib.* 3. *Hist.* Veteres quidem artes sunt, dicente Zevecotio *in Cæsarem c.* 29. *p.* 8. pace aut induciis expugnare, quos bello non potes. Induciæ pax sunt temporaria, quæ vel ad pacem plenè obtinendam, vel conditionis opimioris quærendæ ergò panguntur, & quidem ad certum tempus; Interea militia ordinatur, oppida & propugnacula augentur & damna reparantur. ATHENIENSES cum LACEDÆMONIIS annuas pepigerunt inducias. Thucidides *lib.* 4. *bell. pelopon.* HENRICUS I. Auceps dictus, ut vires interim restauret, alioquin exhaustus & insufficiens hostibus, inducias facit novennales cum HVNGARIS, de quibus Witekindus *primo Annalium* ait: Cum civilia bella cessarent, interim Ungari totam Saxoniam percurrentes Urbes & oppida incendio tradiderunt, & tantam ubique cædem egerunt, ut ultimam comminarentur depopulationem, Rex autem erat in præsidio Vrbis, quæ dicitur *VVeilaon*: nam rudi adhuc Militi & bello publico insveto, contra tam sævam gentem non credebat. Quantam autem stragem fecerint illis diebus, aut quanta succenderint monasteria, melius judicamus silere, quàm verbis nostras iterare calamitates. Contigit, quendam ex Ungarorum Principibus capi, vinctumque ad Regem duci. Ungari verò ipsum in tantum dilexere, ut pro redemptione illius innumera auri & argenti pondera offerrent. Rex autem spernens aurum, pacem postulabat, tandemque obtinuit, ut reddito Captivo cum aliis muneribus ad novem annos pax confirmaretur. Lubeat adferre Condi-

 ditio-

ditiones Induciarum, quas potentissimus HISPANIARUM MONARCHA Antvverpiæ *anno Christi* 1609 *V. Id. April.* cum Provinciarum Confœderatarum Ordinibus in Belgio iniit, ex Thuani *lib. 2. & lib. 30. histor. Belgicar.* Emanuel. Metteran. Domin. Baudio *d. Induc. Belgar. per tot. & in fin.* referente D. Lebleu *Dissertat. d. Induciis thes.* 11. I. Archi-Duces tam suo, quàm Regis Hispan. nomine se declarant paratos cum Ordinibus generalibus fœderatarum Provinciarum tanquam cum libera Republica Inducias infra scriptis conditionibus pacisci. II. Ut Induciæ illæ sint certæ firmaque spatio duodecim annorum, quo cessatio erit actionum omnium hostilium. III. Quisque tenebit regiones, quas jam possidet, iisque liberè fruetur. IV. Subditi utriusque partis mutuam inter se exercebunt amicitiam. V. Effectus Induciarum vigere incipiet intra annum à die Conventionis, vel quamprimum nuntius in partes longè dissitas pervenerit. VI. Subditi unius & alterius ditionis non majora exsolvere tenebuntur tributa, quàm loci Incolæ, ubi exercentur commercia. VII. Subditi Ordinum eâdem in Provinciis regiis securitate fruentur, quæ Regis Magnæ Britanniæ Subditis ultima pacificatione concessa sunt. VIII. Mercatores, Navarchæ, Naucleri, naves mercesque ad ipsos spectantes, nulla ratione capi vel aliquo sub prætextu retinerę poterunt. IX. Si commerciorum intuitu oriantur dissidia, eorum determinatio Commissariis committetur. X. Si sententiæ contra quosdam diversarum partium latæ fuerint, illis non auditis, executioni durantibus Induciis mandari non poterunt. XI. Cessabunt eo tempore literæ clarigatoriæ vel pignorationis, nisi cognitâ causâ, & in casibus, quibus jura Imperii eas permittunt. XII. Ad portus Regionum utriusque partis suspecto navium aut Militum numero, appellere absque venia ejus, ad quem pertineat, non licebit, nisi quis tempestate actus, aut neces-

necessitate, aut periculi evitandi causa eo se recipere coactus fuerit. XIII. Quorum bona propter bellum fisco addicta fuerunt, illi, eorumque heredes, durantibus induciis, bonis fruentur, ita tamen, ut illa nequeant diminuere absque consensu Archi-Ducis vel Ordinum. XIV. Si Fiscus ab una vel altera parte bona publicata vendidit, ii, ad quos ea pertinebunt, contenti erunt, quamdiu induciæ durabunt, pensionem ad rationem decimi sexti denarii, quod ipsis à bonorum illorum possessoribus solvetur, quod ne fiat, ipsum prædium sibi vindicare poterunt. XV. Quod si ea Magistratus autoritate propter justa Eorum debita, ad quos ante Confiscationem pertinebant, vendita fuerint, illis aut Eorum heredibus licitum erit ea repetere, modò pretium intra annum à die hujus pactionis numerent. XVI. Ab hac redhibitione excluduntur domus sitæ in Urbibus, quæ ex hac occasione venditæ fuerunt, propter maximas incommoditates & grave damnum, quod rediret ad eos, qui illas acquisiverunt, multaque in illis repararunt. XVII. Quod ad reparationes in aliis bonis, quæ vendita, attinet, Judices cognitâ causâ de iis statuent, fundusque pignori manebit oppositus, donec pro instauratione satisfactum sit. XVIII. Si quædam munitiones vel opera publica in locis restitutioni obnoxiis erecta fuerint, pro illis Proprietarii pretium pro arbitratu Judicum accipient in solutum. Conditiones plures numero XXXVIII in iisdem Hispano Belgicis Induciis vide *in Pacificat. Austro Hispano Gallicarum Historia ab annis plus quam ducentis breviter repetita Autore* Georgio Braudlacht *Cap. X. pag. mih.* 82. 83. *&* *seqq.* Circa Induciarum pactiones prudenter agant Legati, ne decipiantur. Exempla Eorum, qui sub specie pacis tractandæ decepti & ludificati sunt, vide apud Forstner. *ad Tacit. in not.* ubi meminit, nostrâ memoriâ in famosissima *Ostendæ* obsidione ALBERTUM Archi-Ducem hoc modò à Præ-

ſidiariis eſſe deluſum: Cum enim inducias pepegiſſet, quaſi de deditione acturi, dum ſimulant colloquium, furtim verò Cohortes auxiliares cùm ingenti vi commeatus intromiſſi ſunt. Obſervanda in contrahendis Induciis aut armiſtitio vide apud Felwingerum *Diſſertat. d. Induc. theſ.* 20.

POSITIO X.

Conſultius eſt Uni Litigantium Te aſſociare, quàm Neutralem eſſe.

Qui enim neutrarum partium Duces ſeqvuntur, tandem certa fiunt Victoribus præda, Joh. Bodin. *lib.* 5. *de Republ. c.* 6. quique uni alicui adhæret, ſe ſubtrahit alteri, & qui nec hujus, nec illius, nullius eſt Saavedr. *Symbol. polit.* 94. Imò qui neutrarum partium ſe eſſe verbo declarant, re tamen faces utris ad bellum inflammandum clàm ſuppeditant; eorum fraus diu latere vix poteſt. Re verò planè cognitâ & perceptâ pernicies imminet ab utrisque mutuâ concordiâ conciliatis. Bodin. *loc. cit.* Hinc SOLON legem ſanxit, quam ex Ariſtotele refert Gellius *lib.* 2. *Noct. Attic. cap.* 12. verbis: Si ob diſcordiam diſſenſionemque ſeditio atque diſceſſio populi in duas parteis fieret, &, eam ob cauſam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque: tum qui in eo tempore, in eoque caſu civilis diſcordiæ, non alterutri parti ſe adjunxerit, ſed Solitarius ſeparatusque à communi Civitatis malo ſeceſſerit, is domo, patriâ, fortunisque omnibus careto, exul, extorrisque eſto. Neutralitas ergo plerumque admittenti exitioſa eſt, cum neque Amicos paret, neque Inimicos conciliet, Klock *d. ærar. lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 7. Et Neutraliſtæ comparantur cum illis, qui angvem in ſinu nutriunt, qui refectionem morſu venenato compenſat, Lebleu *d. Inſtruct. futur. Conſil. Diſp.* 6. *th.* 11. Quam ob cauſam referente Saavedrâ *Symb.* 95. de SENENSIBUS (qui neutralitate ſa-

lutem

lutem quærentes miserè perierunt) dixit ALPHONSUS Rex Neapolitanus, iis evenisse, quod accidere solet duobus unius ejusdemque domus Inquilinis, quorum ille, qui inferiorem ædium partem incolit, fumo supernè habitantem opplet; hic verò contra infernè commorantem madefit. THEBANIS plurimum nocuit, quod Neutrales esse voluerint, dum Xerxes Græciam oppugnavit. SABAUDIÆ DUX omnibus suis Provinciis exutus, quod exortô inter Carolum V. & Franciscum I. bellô, neutrum juvare, sed potius quietus sedere voluerit, Paul. Jovius *lib. Histor.* 34. De commodis & incommodis Neutralitatis vid. Londorp. *act. publ. lib.* 10. *cap.* 37. & 38. Joh. Wilhelm Neumaier à Ramsla *de Neutralitate*. Cui autem isto casu se Princeps debet jungere? respondet Lipsius: in causa palam dispari, meliori; in ambigua, fortiori parti. Hieronym. Imhoff *Rat. stat.* 21. De Neutralitate vid. Besold. *in politic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *vers.* 1. & Tractat. *d. Neutralitat. annex. Tract. d. Fœder.* Dn. Felvvinger. *Disputat. d. Factionib. quæst. unic.* Num in bello ἀδιαφορία sit amplectenda, & à neutris standum? Georgius Brautlacht JCt. Westphal. *Pacificat. Austr. Hispan. Gallicar. Histor. Consultat.* 4. *per tot.*

CAPUT DECIMUM
DE
PACE ARMATA
POSITIO I.
Subditi Pacis tempore armis exerceantur.

Pacis tempore de bello cogitandum est, Iustinian. Imper. *in proœm. Institut.* unum enim alterius ope indiget. Neque ignaviâ magna Imperia continentur, sed virorum armorumque faciendum est certamen. Tacit. 15. *Annal.* cùm

sidiariis esse delusum: Cum enim inducias pepegisset, quasi de deditione acturi, dum simulant colloquium, furtim verò Cohortes auxiliares cùm ingenti vi commeatus intromissi sunt. Observanda in contrahendis Induciis aut armistitio vide apud Felwingerum *Dissertat. d. Induc. thes.* 20.

POSITIO X.

Consultius est Uni Litigantium Te associare, quàm Neutralem esse.

Qui enim neutrarum partium Duces seqvuntur, tandem certa fiunt Victoribus præda, Joh. Bodin. *lib.* 5. *de Republ. c.* 6. quique uni alicui adhæret, se subtrahit alteri, & qui nec hujus, nec illius, nullius est Saavedr. *Symbol. polit.* 94. Imò qui neutrarum partium se esse verbo declarant, re tamen faces utris ad bellum inflammandum clàm suppeditant; eorum fraus diu latere vix potest. Re verò planè cognitâ & perceptâ pernicies imminet ab utrisque mutuâ concordiâ conciliatis. Bodin. *loc. cit.* Hinc SOLON legem sanxit, quam ex Aristotele refert Gellius *lib.* 2. *Noct. Attic. cap.* 12. verbis: Si ob discordiam dissensionemque seditio atque discessio populi in duas parteis fieret, &, eam ob causam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque: tum qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordiæ, non alterutri parti se adjunxerit, sed Solitarius separatusque à communi Civitatis malo secesserit, is domo, patriâ, fortunisque omnibus careto, exul, extorrisque esto. Neutralitas ergo plerumque admittenti exitiosa est, cum neque Amicos paret, neque Inimicos conciliet, Klock *d. ærar. lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 7. Et Neutralistæ comparantur cum illis, qui angvem in sinu nutriunt, qui refectionem morsu venenato compensat, Lebleu *d. Instruct. futur. Consil. Disp.* 6. *th.* 11. Quam ob causam referente Saavedrâ *Symb.* 95. de SENENSIBUS (qui neutralitate salutem

lutem quærentes miserè perierunt) dixit ALPHONSUS Rex Neapolitanus, iis evenisse, quod accidere solet duobus unius ejusdemque domus Inquilinis, quorum ille, qui inferiorem ædium partem incolit, fumo supernè habitantem opplet; hic verò contra infernè commorantem madefit. THEBANIS plurimum nocuit, quod Neutrales esse voluerint, dum Xerxes Græciam oppugnavit. SABAUDIÆ DUX omnibus suis Provinciis exutus, quod exortô inter Carolum V. & Franciscum I. bellô, neutrum juvare, sed potius quietus sedere voluerit, Paul. Jovius *lib. Histor.* 34. De commodis & incommodis Neutralitatis vid. Londorp. *act. publ. lib.* 10. *cap.* 37. & 38. Joh. Wilhelm Neumaier à Ramsla *de Neutralitate*. Cui autem isto casu se Princeps debet jungere? respondet Lipsius: in causa palam dispari, meliori; in ambigua, fortiori parti. Hieronym. Imhoff *Rat. stat.* 21. De Neutralitate vid. Besold. *in politic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *vers.* 1. & Tractat. *d. Neutralitat. annex. Tract. d. Fœder.* Dn. Felvvinger. *Disputat. d. Factionib. quæst. unic.* Num in bello ἀδιαφορία sit amplectenda, & à neutris standum? Georgius Brautlacht JCt. Westphal. *Pacificat. Austr. Hispan. Gallicar. Histor. Consultat.* 4. *per tot.*

CAPUT DECIMUM
DE
PACE ARMATA
POSITIO I.
Subditi Pacis tempore armis exerceantur.

Pacis tempore de bello cogitandum est, Iustinian. Imper. *in proœm. Institut.* unum enim alterius ope indiget. Neque ignaviâ magna Imperia continentur, sed virorum armorumque faciendum est certamen. Tacit. 15. *Annal.* cùm

ſidiariis eſſe deluſum: Cum enim inducias pepegiſſet, quaſi de deditione acturi, dum ſimulant colloquium, furtim verò Cohortes auxiliares cùm ingenti vi commeatus intromiſſi ſunt. Obſervanda in contrahendis Induciis aut armiſtitio vide apud Felwingerum *Diſſertat. d. Induc. theſ.* 20.

POSITIO X.

Conſultius eſt Uni Litigantium Te aſſociare, quàm Neutralem eſſe.

Qui enim neutrarum partium Duces ſeqvuntur, tandem certa fiunt Victoribus præda, Joh. Bodin. *lib. 5. de Republ. c.* 6. quique uni alicui adhæret, ſe ſubtrahit alteri, & qui nec hujus, nec illius, nullius eſt Saavedr. *Symbol. polit.* 94. Imò qui neutrarum partium ſe eſſe verbo declarant, re tamen faces utris ad bellum inflammandum clàm ſuppeditant; eorum fraus diu latere vix poteſt. Re verò planè cognitâ & perceptâ pernicies imminet ab utrisque mutuâ concordiâ conciliatis. Bodin. *loc. cit.* Hinc SOLON legem ſanxit, quam ex Ariſtotele refert Gellius *lib.* 2. *Noct. Attic. cap.* 12. verbis: Si ob diſcordiam diſſenſionemque ſeditio atque diſceſſio populi in duas parteis fieret, &, eam ob cauſam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque: tum qui in eo tempore, in eoque caſu civilis diſcordiæ, non alterutri parti ſe adjunxerit ſed Solitarius ſeparatusque à communi Civitatis malo ſeceſſerit, is domo, patriâ, fortunisque omnibus careto, exul, extorrisque eſto. Neutralitas ergo plerumque admittenti exitioſa eſt, cum neque Amicos paret, neque Inimicos conciliet, Klock *d. ærar. lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 7. Et Neutraliſtæ comparantur cum illis, qui angvem in ſinu nutriunt, qui refectionem morſu venenato compenſat, Leblen *d. Inſtruct. futur. Conſil. Diſp.* 6. *th.* 11. Quam ob cauſam referente Saavedrâ *Symb.* 95. de SENENSIBUS (qui neutralitate ſalutem

lutem quærentes miserè perierunt) dixit ALPHONSUS Rex Neapolitanus, iis evenisse, quod accidere solet duobus unius ejusdemque domus Inquilinis, quorum ille, qui inferiorem ædium partem incolit, fumo supernè habitantem opplet; hic verò contra infernè commorantem madefit. THEBANIS plurimum nocuit, quod Neutrales esse voluerint, dum Xerxes Græciam oppugnavit. SABAUDIÆ DUX omnibus suis Provinciis exutus, quod exortô inter Carolum V. & Franciscum I. bellô, neutrum juvare, sed potius quietus sedere voluerit, Paul. Jovius *lib. Histor.* 34. De commodis & incommodis Neutralitatis vid. Londorp. *act. publ. lib.* 10. *cap.* 37. & 38. Joh. Wilhelm Neumaier à Ramsla *de Neutralitate* Cui autem isto casu se Princeps debet jungere? respondet Lipsius: in causa palam dispari, meliori; in ambigua, fortiori parti. Hieronym. Imhoff *Rat. stat.* 21. De Neutralitate vid. Besold. *in politic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *vers.* 1. & Tractat. *d. Neutralitat. annex. Tract. d. Fœder.* Dn. Felvvinger. *Disputat. d. Factionib. quæst. unic.* Num in bello ἀδιφορία sit amplectenda, & à neutris standum? Georgius Brautlacht JCt. Westphal. *Pacificat. Austr. Hispan. Gallicar. Histor. Consultat.* 4. *per tot.*

CAPUT DECIMUM
DE
PACE ARMATA
POSITIO I.
Subditi Pacis tempore armis exerceantur.

Pacis tempore de bello cogitandum est, Iustinian. Imper. *in proœm. Institut.* unum enim alterius ope indiget. Neque ignaviâ magna Imperia continentur, sed virorum armorumque faciendum est certamen. Tacit. 15. *Annal.* cùm Pa-

ſidiariis eſſe deluſum: Cum enim inducias pepigiſſet, quaſi de deditione acturi, dum ſimulant colloquium, furtim verò Cohortes auxiliares cùm ingenti vi commeatus intromiſſi ſunt. Obſervanda in contrahendis Induciis aut armiſtitio vide apud Felwingerum *Diſſertat. d. Induc. theſ.* 20.

POSITIO X.

Conſultius eſt Uni Litigantium Te aſſociare, quàm Neutralem eſſe.

Qui enim neutrarum partium Duces ſeqvuntur, tandem certa fiunt Victoribus præda, Joh. Bodin. *lib. 5. de Republ. c. 6.* quique uni alicui adhæret, ſe ſubtrahit alteri, & qui nec hujus, nec illius, nullius eſt Saavedr. *Symbol. polit.* 94. Imò qui neutrarum partium ſe eſſe verbo declarant, re tamen faces utris ad bellum inflammandum clàm ſuppeditant; eorum fraus diu latere vix poteſt. Re verò planè cognitâ & perceptâ pernicies imminet ab utrisque mutuâ concordiâ conciliatis. Bodin. *loc. cit.* Hinc SOLON legem ſanxit, quam ex Ariſtotele refert Gellius *lib. 2. Noct. Attic. cap.* 12. verbis: Si ob diſcordiam diſſenſionemque ſeditio atque diſceſſio populi in duas parteis fieret, &, eam ob cauſam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque: tum qui in eo tempore, in eoque caſu civilis diſcordiæ, non alterutri parti ſe adjunxerit, ſed Solitarius ſeparatusque à communi Civitatis malo ſeceſſerit, is domo, patriâ, fortunisque omnibus careto, exul, extorrisque eſto. Neutralitas ergo plerumque admittenti exitioſa eſt, cum neque Amicos paret, neque Inimicos conciliet, Klock *d. ærar. lib. 2. cap.* 93. *num.* 7. Et Neutraliſtæ comparantur cum illis, qui angvem in ſinu nutriunt, qui refectionem morſu venenato compenſat, Lebleu *d. Inſtruct. futur. Conſil. Diſp. 6. th.* 11. Quam ob cauſam referente Saavedrâ *Symb.* 95. de SENENSIBUS (qui neutralitate ſalutem

lutem quærentes misere perierunt) dixit ALPHONSUS Rex Neapolitanus, iis evenisse, quod accidere solet duobus unius ejusdemque domus Inquilinis, quorum ille, qui inferiorem ædium partem incolit, fumo supernè habitantem opplet; hic verò contra infernè commorantem madefit. THEBANIS plurimum nocuit, quod Neutrales esse voluerint, dum Xerxes Græciam oppugnavit. SABAUDIÆ DUX omnibus suis Provinciis exutus, quod exortô inter Carolum V. & Franciscum I. bellô, neutrum juvare, sed potius quietus sedere voluerit, Paul. Jovius *lib. Histor.* 34. De commodis & incommodis Neutralitatis vid. Londorp. *act. publ. lib.* 10. *cap.* 37. *&* 38. Joh. Wilhelm Neumaier à Ramsla *de Neutralitate* Cui autem isto casu se Princeps debet jungere? respondet Lipsius: in causa palam dispari, meliori; in ambigua, fortiori parti. Hieronym. Imhoff *Rat. stat.* 21. De Neutralitate vid. Besold. *in politic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *vers.* 1. & Tractat. *d. Neutralitat. annex. Tract. d. Fœder.* Dn. Felvvinger. *Disputat. d. Factionib. quæst. unic.* Num in bello ἀδιφορία sit amplectenda, & à neutris standum? Georgius Brautlacht JCt. Westphal. *Pacificat. Austr. Hispan. Gallicar. Histor. Consultat.* 4. *per tot.*

CAPUT DECIMUM
DE
PACE ARMATA
POSITIO I.
Subditi Pacis tempore armis exerceantur.

Pacis tempore de bello cogitandum est, Iustinian. Imper. *in proœm. Institut.* unum enim alterius ope indiget. Neque ignaviâ magna Imperia continentur, sed virorum armorumque faciendum est certamen. Tacit. 15. *Annal.* cùm Pa-

ditiones Induciarum, quas potentissimus HISPANIARUM MONARCHA Antvverpiæ *anno Christi* 1609 *V. Id. April.* cum Provinciarum Confœderatarum Ordinibus in Belgio iniit, ex Thuani *lib. 2. & lib. 30. histor. Belgicar.* Emanuel. Metteran. Domin. Baudio *d. Induc. Belgar. per tot. & in fin.* referente D. Lebleu *Dissertat. d. Induciis thes.* 11. I. Archi-Duces tam suo, quàm Regis Hispan. nomine se declarant paratos cum Ordinibus generalibus fœderatarum Provinciarum tanquam cum libera Republica Inducias infra scriptis conditionibus pacisci. II. Ut Induciæ illæ sint certæ firmaque spatio duodecim annorum, quo cessatio erit actionum omnium hostilium. III. Quisque tenebit regiones, quas jam possidet, iisque liberè fruetur. IV. Subditi utriusque partis mutuam inter se exercebunt amicitiam. V. Effectus Induciarum vigere incipiet intra annum à die Conventionis, vel quamprimum nuntius in partes longè dissitas pervenerit. VI. Subditi unius & alterius ditionis non majora exsolvere tenebuntur tributa, quàm loci Incolæ, ubi exercentur commercia. VII. Subditi Ordinum eâdem in Provinciis regiis securitate fruentur, quæ Regis Magnæ Britanniæ Subditis ultima pacificatione concessa sunt. VIII. Mercatores, Navarchæ, Naucleri, naves mercesque ad ipsos spectantes, nulla ratione capi vel aliquo sub prætextu retinere poterunt. IX. Si commerciorum intuitu oriantur dissidia, eorum determinatio Commissariis committetur. X. Si sententiæ contra quosdam diversarum partium latæ fuerint, illis non auditis, executioni durantibus Induciis mandari non poterunt. XI. Cessabunt eo tempore literæ clarigatoriæ vel pignorationis, nisi cognitâ causâ, & in casibus, quibus jura Imperii eas permittunt. XII. Ad portus Regionum utriusque partis suspecto navium aut Militum numero, appellere absque venia ejus, ad quem pertineat, non licebit, nisi quis tempestate actus, aut neces-

necessitate, aut periculi evitandi causa eo se recipere coactus fuerit. XIII. Quorum bona propter bellum fisco addicta fuerunt, illi, eorumque heredes, durantibus induciis, bonis fruentur, ita tamen, ut illa nequeant diminuere absque consensu Archi-Ducis vel Ordinum. XIV. Si Fiscus ab una vel altera parte bona publicata vendidit, ii, ad quos ea pertinebunt, contenti erunt, quamdiu induciæ durabunt, pensionem ad rationem decimi sexti denarii, quod ipsis à bonorum illorum possessoribus solvetur, quod ne fiat, ipsum prædium sibi vindicare poterunt. XV. Quod si ea Magistratus autoritate propter justa Eorum debita, ad quos ante Confiscationem pertinebant, vendita fuerint, illis aut Eorum heredibus licitum erit ea repetere, modò pretium intra annum à die hujus pactionis numerent. XVI. Ab hac redhibitione excluduntur domus sitæ in Urbibus, quæ ex hac occasione venditæ fuerunt, propter maximas incommoditates & grave damnum, quod rediret ad eos, qui illas acquisiverunt, multaque in illis repararunt. XVII. Quod ad reparationes in aliis bonis, quæ vendita, attinet, Judices cognitâ causâ de iis statuent, fundusque pignori manebit oppositus, donec pro instauratione satisfactum sit. XVIII. Si quædam munitiones vel opera publica in locis restitutioni obnoxiis erecta fuerint, pro illis Proprietarii pretium pro arbitratu Judicum accipient in solutum. Conditiones plures numero XXXVIII in iisdem Hispano Belgicis Induciis vide *in Pacificat. Austro Hispano Gallicarum Historia ab annis plus quam ducentis breviter repetita Autore* Georgio Braudlacht *Cap. X. pag. mih.* 82. 83. *& seqq.* Circa Induciarum pactiones prudenter agant Legati, ne decipiantur. Exempla Eorum, qui sub specie pacis tractandæ decepti & ludificati sunt, vide apud Forstner. *ad Tacit. in not.* ubi meminit, nostrâ memoriâ in famosissima *Ostendæ* obsidione ALBERTUM Archi-Ducem hoc modò à Præ-

lutem quærentes miserè perierunt) dixit ALPHONSUS Rex Neapolitanus, iis evenisse, quod accidere solet duobus unius ejusdemque domus Inquilinis, quorum ille, qui inferiorem ædium partem incolit, fumo supernè habitantem opplet; hic verò contra infernè commorantem madefit. THEBANIS plurimum nocuit, quod Neutrales esse voluerint, dum Xerxes Græciam oppugnavit. SABAUDIÆ DUX omnibus suis Provinciis exutus, quod exortô inter Carolum V. & Franciscum I. bellô, neutrum juvare, sed potius quietus sedere voluerit, Paul. Jovius *lib. Histor.* 34. De commodis & incommodis Neutralitatis vid. Londorp. *act. publ. lib.* 10. *cap.* 37. & 38. Joh. Wilhelm Neumaier à Ramsla *de Neutralitate* Cui autem isto casu se Princeps debet jungere? respondet Lipsius: in causa palam dispari, meliori; in ambigua, fortiori parti. Hieronym. Imhoff *Rat. stat.* 21. De Neutralitate vid. Besold. *in politic. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. *vers.* 1. & Tractat. *d. Neutralitat. annex. Tract. d. Fœder.* Dn. Felvvinger. *Disputat. d. Factionib. quæst. unic.* Num in bello ἀδιφορία sit amplectenda, & à neutris standum? Georgius Brautlacht JCt. Westphal. *Pacificat. Austr. Hispan. Gallicar. Histor. Consultat.* 4. *per tot.*

CAPUT DECIMUM
DE
PACE ARMATA
POSITIO I.
Subditi Pacis tempore armis exerceantur.

Pacis tempore de bello cogitandum est, Iustinian. Imper. *in proœm. Institut.* unum enim alterius ope indiget. Neque ignaviâ magna Imperia continentur, sed virorum armorumque faciendum est certamen. Tacit. 15. *Annal.* cùm

Patria, libertas, cives atque adeo ipsi Reges lateant in tutela & præsidio bellicæ virtutis. Cicer *pro Muren.* Miles ergò in mediâ pace sine ullo hoste decurrat, vallum jaciat, & supervacuo labore lassetur, ut sufficere necessario possit. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas. Seneca *epist.* 13. & Paris de Puteo *de re militar. c. 1. n. 1.* Semper, inquit, in otio debet fieri, quod necessariò faciendum videtur in prœlio. Unde Theodoricus dixit; Militem discere debere in otio, quod proficere possit bello. In omni prœlio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium solent præstare victoriam; nec ulla alia re populus Romanus subegit orbem terrarum, nisi armorum exercitio, disciplina castrorum usuque militiæ Fl. Veget. *lib. c.* 1. ROMULUS primus Rex sapienter disposueras, ut Juventus divisa per Tribus in equis & armis ad subita bella excubaret. Flor. *lib.* 1. *c.* 1. Vnde porrò ROMANI à teneris ungviculis pueros armis & eqvestribus exercitis exercebant, ita Virgilius *lib.* 7. *Æneid.*

Ante urbem pueri, & primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere cursus
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorqvent, cursuque ictuque lacessunt.

De iis (*Romanis*) Iosephus *lib. 3. excid.* ita: Quod si quis alium Romanorum ordinem in militia inspexerit, videbit hoc grande Imperium eos habere virtutis meritum, non fortunæ beneficium. Non enim initium illis armorum ipsum bellum est, nec solum cum usus aut necessitas est, manus movent: in pace feriati, sed tanquam congeniti armis, nunquam pausam exercitii faciunt, nec expectant occasiones. Meditationes autem sive exercitia nihil à vero usu fortitudinis & audaciæ abeunt, sed quisque quotidie miles omni alacritate tanquam à bello exercetur. Quo fit, ut facilimè, & pe-

nè

ne sine laboris sensu pugnas tolerent. Neque enim vel confusio eos à consveto ordine amovet, vel dissipat, vel metus reddit attonitos, vel labor fatigatos. Sequitur verò victoria semper eos, cùm in hos pugnent, qui non pariter confirmati. Nec sanè erraverit, qui dixerit, exercitia eorum pugnas sine sanguine, pugnas exercitia cum sanguine esse. De HENRICO Aucupe Albertus Cranzius 3. *Metrop.* 18. Per Saxoniam Orientalem Henricus Dux civitates communit, militiam conscribit ex agris & urbibus constituitque in urbibus, ut quintus quisque militaret stipendiis quatuor civium, ad arma & equos instructus, & per agros octo nonum armarent. Ita factum est, ut exercitum haberet tyronum paratissimum, quo etiam tum utebatur felicissimè in Ungaros. VENETI cunctis in vicis pagisque agrestem pubem militari opere exercent, ut necessitate ita exigente operam suã præstare possint Reipublicæ. Iustinian. *in histor. Venet.* MONARCHIÆ HISPANICÆ plurimum profuit Palæstra illa & Schola Martia, ubi doctæ & exercitatæ fuêre tot artes militares. Saavedr. *symb polit.* 83. Princeps SABAUDIÆ, Dux ETRURIÆ & alii, aliquot subditorum millia continuò in armis exercent. Caspar Ens *Schol. polit. class. 3. cap. 2.*

POSITIO II.

Exercitatus Miles frœni instar est contra Subditos Morosos.

Miles si in parato non est, quis seditiosis arma eripiat? Crescit malum, nec facilè supprimi potest. Sicuti autem seditiones plerumque oriuntur subitò, ita subitò adhibendum est remedium. Magis facto tunc, quàm consulto opus est antequam radices agat malitia, aut tarditate aut licentia incrementum sumat. Saavedra *symb. polit.* 73. Eleganter Barclajus *lib.* 4. *Argen. c.* 4. Factiones in initiis, ac veluti cunis, timi-

timidæ debilesque ſunt, ut ſi in promptu & ſub pellibus miles ſit, opprimi cum dignitate poſſit malum; & mehercule ita impetu, tanquam ſitiente fulgure, hi fontes exhauriri, qui, ſi pateris, mox neſcient ripas. CATILINARIÆ CONJURATIONIS cauſam exprimit Florus *lib.* 4. *c.* 1. quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinarentur, tùm in Italia nullus Exercitus.

POSITIO III.

Perpetuum alere militem expedit Reipublicæ.

Parum tuta eſt ſine viribus Majeſtas. Livius *lib.* 2. *c.* 55. Omnisque Reſpublica armis eget, quibus ſeque & civium ſalutem, libertatem, uxorem, liberos tuetur, neque in quemquam validiores injuriæ liberius currunt, quàm in eum, quem omni præſidio deſtitutum impune offendi poſſe noverunt. Forſtner. *ad Cornel. Tacit.* 15. *Annal.* idem eſt quod habet Ariſtotel 7. *polit.* 8. Qui Reipublicæ præſunt, hos armis, tum ad tuendum Imperium, ut id detrectantes coerceantur, tum ad vim, ſi quis injuriam extrinſecus inferre conetur, propulſandam inſtructos eſſe neceſſe eſt. Melius nil eſt *Prudenti Diffidentia.* Euripides. Agreſtis, ovium & villæ minus ſecurus, ſi deſtituitur molosſis; hinc enim fur & lupus audacior. Sic & Reſpublica vix ſatis tuta, ſi milite non ſat munita; utpote vicinus, isque hoſtis aut æmulus, facilè inſultat, quod ſine parato robore videt. Autor libelli, *qui inſcribitur: Mars Germaniæ Perpetuus. cap.* 3. EPAMINONDAS prudentisſimè apud Cornel. Nepot. Meneclidi, Fallis, infit, verbo cives tuos, quod hos à bello avocas, otii enim nomine ſervitutem concilias, nam paritur Pax Bello: itaque qui eâ diutinâ volunt frui bello exercitati eſſe debent. Quare ſi Principes Græciæ eſſe vultis, caſtris eſt vobis utendum, non Palæſtrâ. Ergò qui deſide-

rat,

rat pacem, præparat bellum, qui victoriam cupit, milites instruat diligenter. Nemo enim bello lacessere aut facere audet injuriam ei regno, vel populo, quem expeditum & promtum ad resistendum vindicandumque cognoscit. Cardinalis RICHELIUS, in Gallia olim Minister Status acutissimus, inter alias causas, quæ Rempublicam huc usque enervarunt, ponit Militiæ inopiam, & ad subitaneos casus medicandos, & fœderatorum defensionem suscipiendam parum instructam dextra. Joh. Hieronym. ImHoff. *Rat. Stat.* 42. Gravis est sententia Bacon. d. Verulamio *serm. fidel.* 29. *d. prof. fin. Imper.* dicentis: Exercitus veteranus perpetuò tanquam sub vexillis habitus, etsi res sit magni procul dubio sumtus & impensæ, attamen ejusmodi est, ut Statui alicui quasi arbitrium rerum inter vicinos, aut saltim plurimum existimationis ad omnia conferat. Ita tuta est Respublica sub armis. vid. Comitiol. Ratisbon. *pag.* 304. Nec minùs eruditè disserit Dn. Sebastianus Ramspeck. *d. magnus Imperiis membr.* 3. §. 23. Securi Imperii non aliud certius esse pignus, quàm paratum semper in castris exercitum, qui id à novo differat, quod navis; quæ probatis trabibus esset compacta, ab eâ, quam intempestivè excisæ arbores, & omnia non pensatis vitiis ligna componunt. Civiles motus, ambitionem procerum cæteraque quietis publicæ, turbamenta, vel in initiis ab isto opprimi, aut si jam adoleverint, cum dignitate coerceri posse. Exteros autem reverituros imperium, quod tot succinctæ, & ad nutum legiones custodiunt. Stipendiorum onera securitate bonorum, quæ quisque possidet, facilè pensari. Cùm neque immodicæ copiæ, sed electus & par Imperio numerus præscribatur; quem larga & nunquam dilata stipendia, severitasque disciplinæ, tum labor assiduus, & meditationes campestres, denique sapiens distributio, ita continebunt & moderabuntur, ut modestiâ celebris, tamen â milite haut abeat. Sic profligari interim subi-

ca casuum, mox & tyronem erudiri posse, ubi necessitas Imperii ampliorem poscit exercitum. Duces autem armorum ex instituto Augusti præficiendos. Cujus in toto isto argumento admirabilis sapientia debet pro exemplo ac regulâ haberi. Hæc Ille. Virtus militaris POPULO ROMANO nomen, Urbi æternam gloriam peperit. Cicer, *pro Muren.* MARABODUUM Germanum, quod corpus suum custoditum, Imperium perpetuis exercitibus penè ad Romanæ disciplinæ formam redactum brevi in eminens & nostro, id est, Romano Imperio timendum duxerit fastigium laudat Vellej. Paterc. *lib.* 2. *cap.* 109. AUGUSTUS Imperator certum numerum Militum partim in Urbis partim in sui custodiâ allegit, Sveton. 49. CAROLUS V. heroicè dixisse fertur, se mallè pecuniâ, quàm bonô carere milite. Germaniam alloquitur citatus Autor libelli: Mars Germ. perpet. *cap.* 5. Vidisti, GERMANIA, quàm sollicitè & quanto robore alia Regna se munierint ut ut immensis hoc illis steterit sumptibus. Consultius quippe hos perdere quàm amissa repetere. Hoc enim majores post impensas habet & pericula. Tu tamen, Germania, nudo velut pectore sedes, excepto præsenti statu, virginitatis tuæ sat secura: cum tibi tot sint insidiatores, tot Corrivales, quos tua venusta nuditas magis allicit, non in sincerum, sed callidum amorem, cujus complexus tandem venenum. *Et in fine:* Hinc & Tibi tandem Militem circumpone perpetuum, ne pro libitu vel impotentes hostes tibi insultent. Sic rec[illegible] [illegible]riosa, sic eris formidabilis. Hoc magnus pridem princeps, magni svaserunt Politici. Et est persvasione dignum, quod valde necessarium. TURCIS hodienum paratus semper Exercitus unicum potentiæ eorundem retinendæ fundamentum. Multa Equitum millia quos Spahos vocant, semper alunt. Pedestrium [illegible] [illegible] Janitz[illegible] [illegible] [illegible]

possessionis Imperiorum jure belli acquisitorum Munimentis cap. 7. §. 18. & Dn. Ioh. Andr. Bosius b. m. Historicus celeberimus *d. Imper. Turcic. th.* 19. ait: Turca perpetuo Pacis æquè ac Belli tempore CC. millia militum alit, nempe CXX. millia Spahorum, sive Equitum, & LXXX. millia Janizarorum sive peditum alta. Saavedr. *Symb. polit.* 82. Non equidem perpetuum Martis studium Regi commendamus, & Jani portas semper apertas laudamus, dicente D. Conring. *de Regno thes.* 37.

POSITIO IV.

Calamitatis initium est Securitas.

Nimia securitas malos generat humores, Cives in partes scindit diversas, procreat audaces spiritus, & exteriora media aspernatur. Saavedr. *Symb. polit.* 84. Securitas Mater est negligentiæ. Gregorius. Bellum in media pace consurgit, & auxilia securitatis in metum transeunt; ex Amico Inimicus, Hostis ex Socio. Senec. *Epist.* 4. Invadit temperantissimos morbus, validissimos Phthysis, innocentissimos pœna, secretissimos tumultus. Idem. Ast id, quod ne timeatur, fortuna facit, minimè tuti sunt homines, quia, quod neglexeris, incautum atque apertum habeas, Livius *lib.* 25. *c.* 38. Prudenter eruditi respondent: Cur Christus salutari adventu suo Dœmonum fallacias & machinas perstrinxerit potius, quàm sustulerit. Præstat enim, inquiunt, ut ejusmodi hostes sint, qui dies noctesque nos oppugnant, quàm ut ab omni certamine liberi nullisque stimulis exerciti, securitate corrumpantur, sive felicitate ipsa infelicissimi simus, vid. Polydor. Virgil. *lib.* 1. *d. prodigiis pag.* 117. Ruperti *in Observat. ad C. Vell. Paterc. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 2. CARTHAGO in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto & metu, suo tantum genio utebatur, Tacit. 6. *c.* 5. seu ut Florus *lib.* 2. *cap.* 15. loquitur, metu ablato æmulæ Urbis, luxuriari felicitas Urbis in-

cepit. CATONEM securitatis nepotum anxium clamasse, omni Senatu Carthaginem delendam, & quotidie in curiam attulisse præcocem ex ea provincia ficum: ostensáque Patribus, interrogo Vos, quando hoc pomum demptum putetis ex arbore? cum inter omnes recentem esse constaret, Catonem subjecisse: atque ante tertium diem scitote decerptum Carthagine, tam prope à muris habemus hostem, Plin. *lib.* 15. *c.* 33. JULIUS CÆSAR salutis suæ securus nimis, occisus est. Sveton. *in Cæsar.* Cautiores AUGUSTUS loricâ indutus curiam intrans & TIBERIUS, quem miles in forum, miles in curiam comitabatur, Tacit. *Annal.* 1. 7. EVERARTUM & GISLERTUM Imperatoris Ottonis M. fideles UDO videlicet & CONRADUS, frater Hermanni Svecorum Ducis, prædando regno securè intentos juxta Rhenum inopinatè aggressi acerrimè debellant, Witekind. *lib.* 2. *Annal. p.* 580. SAXONES sub eodem Ottone victores visi pro recenti victoria securius & inconsideratius agentes, repentinâ incursione omnes ab hoste sunt occisi, Cranz. *lib.* 3. *Saxon.* 14. HENRICUS Dux Bavariorum, honore & communione privatus, Bojemia fugit, quem Imperator ibidem valido petens exercitu cum Duce Bolizlao manentem, nil ibi prorsus in neutro horum profecit, sed magnam Bavarorum catervam sibi ad auxilium huc venientem, & juxta Pilisini (Pilsnam Pilsen) urbem castra metatam dolo cujusdam militis Bolizlai sic perdidit: Vespere facto Bavari se lavantes nulla custodum securitate fruuntur, & ecce hostis loricatus adveniens nudos eosdem in tentoriis & virentibus pratis occurentes prostravit, & cum omni præda lætus & incolumis revertitur, Dicmarus *lib.* 3. *pag.* 29. HUGENOTI in Gallia, cum sub primordiis Regiminis Ludovici XIII. ex sententia compositis se gaudere rebus crederent, adeoque confidere sibi ac prospicere negligerent, ex improviso a Rege suo, sub alio prætextu

textu armis circumventi libertate Religionis,qua antea fruebantur amplissimè,exciderunt,Joh. Hieronym. Imhoff. *dissert. polit. militar. discurs.6.*

POSITIO V.

Castra, seu (uti sequioris ævi Autoribus dicuntur) fortalitia exstruere urbesque mœnibus cingere prudentiæ politicæ est.

Prisca simplicitas,quâ Urbes non lapidibus & lignis,sed virtute inhabitantium debere esse munitas, Plutarch. *in Lacon. Apophtheg.* jamdudum obsolevit. Hodie ex Ratione Status non solùm muri circumducendi sunt,sed danda etiam opera, ut tum ad Urbis ornatum, tum ad bellicos nuper cogitatos usus sint accommodati, Aristot. *lib. 7. pol.* 11. Ioh.Casus *in Sphæra Civitat. c.* 11. Besold. *in dissert. d. Bello cap.* 4. *n.* 3. Idem in Thesaur. Pract. *verb.* Festung MALTA haud ampla Insula,anno 1565 à Turcis lacessita,Cypri & Rhodi indignas fortunas sine dubio experta esset,nisi maximis firmissimisque aliquot locis munita fuisset, quæ impetum hostilem usque ad Regis Catholici adventum frangendo hostem mirificè traxerunt,& Insulam ab imminenti periculo liberarunt. Imhoff *Rat. Stat.* 14. De Casalis arce struenda vide Consultationem apud A. Pollevinum octavo historiæ Mantuanæ, add. Forstner. *not. polit. ad Corn. Tacit. lib. 6.* HENRICUS AUCEPS acceptâ pace ab Ungaris ad novem annos quantâ prudentiâ vigilaverit in munienda patria,supra nostram est virtutem edicere,ait Cranz. *Metropolit. lib. 1. p.* 11. VIENNA XIII. habet propugnacula & vallum muro è certis lateribus adversus omnem vim majorem bene firmata. Autor itiner. German. politic. *pag. mihi* 93. anno 1529. à Solymanno 300000 exercitu obsessa 16000 defensa est,cum adstite Deo, & Defensore Philippo Palatino Barbari, fuerint repressi.

FRANCOFURTUM ad Mœnum, ARGENTORATUM, ULMA, NORIMBERGA, URADISLAVIA, LUBECA, COLONIA, HAMBURGUM, potentisſimorum hoſtium impetus & ſuſtinuerunt & libertatem ſartam tectam ſervarunt, vid. Intereſſe von Holland *cap.* 4. D. Samuel. Strykius *in Diſſertat. d. Fortalitiis. cap.* 4. *num.* 7. Ubi appendicem habet Hiſtoric. Mathematicam *de ſtructura Veterum & moderna.* Solum illud caſtrum expugnari non poteſt, quod in aquis ſitum ſævientium undarum furore quaquaverſum cingitur, quæ licet illud verberent, unà tamen etiam defendunt, non dando locum obſidioni navali, totumque foret periculum in maris malatia, ſi diu conſtans perduraret. Saavedr. *Symb. polit.* 83. de Munitionibus Præſide D. Samuele Reyhero, Profeſſor. in Academia Chilonienſ. publice diſputavit Benedictus ab Alefeld, Eques Holſatus.

POSITIO VI.

Armorum in pace meditatorum finis eſto, non tam amplificare Rempublicam quàm defendere.

Roſæ comparatur dominatio ſpinis intricatæ, cui decerpendæ cujusvis quaſi allaborant manus, quæ tecta conſervatu difficilis eſt. Lebleu *de Augenda Republ. theſ.* 82. Nec immeritò quis dixerit, rerum naturam melius acturam fuisſe nobiscum, ſi ventos flare vetuiſſet, & inhibito diſcurſu furentium in ſua quemque terra ſtare juſſisſet, Senec. *lib.* 5. *natur. quæſt. cap.* 18. Nilque tam magnum eſt, quod perire non poſſit; cui naſcitur in perniciem, ut alia quieſcant, ex magnitutine ſuæ cauſæ, Idem 6. *d. benefic. c.* 3. Satius ergo eſt pace ſtabiliri victoriam, quàm per arma ambiguo eventu coronidem vacillare, Marſelaer *lib.* 2. *d. Legat. c.* 24. Sed ubi labore atque juſtitia Reſpublica crevit; Reges magni bello domi-

domiti; nationes feræ & populi ingentes vi subacti; CARTHAGO æmula Imperii Romani a stirpe interiit; cuncta mari terraque patebant: Fortuna sævire & miscere omnia cœpit, Salust *in Cat. cap.* 10. fit ferè juxta illud Agathiæ *lib.* 1. *p.* 8. ut ubi magni sunt proceres, æqualis aut dubiæ inter se potentiæ; ibi etiam animi elatiores inflatioresque evadant, & ambitiosæ æmulationes, & de primo honoris gradu contentiones, aliique innumeri affectus tumultibus & seditionibus gignendis aptissimi suboriantur. Effrenis illa ampliandi Imperii libido, quæ cepta Nini Assyriorum Regis temporibus, qui quasi avitum defendendi se tantum gentibus morem, nova Imperii cupiditate mutavit, populos multós & principes ad hæc usque tempora inflammare non desinit, Zevecot. *Observat. ad Flor. lib.* 3. *cap.* 12. Darii Legatus prudenter ad Alexandrum dixit: Periculosum est prægrave Imperium: Difficile est continere, quod capere non possis. Vi[illegible]vigia, quæ modum excedunt, regi nequeant. Ne[illegible]us ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes [illegible]n faciunt. Facilius est quædam vincere, quàm [illegible] hercule expeditius manus nostræ rapiunt quàm [illegible] Curtius *lib.* 4. Bene consulit Damaratus Xerxi apud Senec. *lib* 6. *de Benefici. c.* 31. ubi dissvadet multis oppugnare copiis Græciam: Ob hocipsum Te Græcia vincet, quia te non capit. Prudens est consilium Augusti de coercendo intra terminos, hoc est, non augendo per militares expeditiones Imperio apud Tacit. *lib.* 1. *Annal. c.* 12. Sic ne Britannia bello potiretur, ex consilio Augusti fuit apud Tacitum Felicioris durationis perhibentur STATUS MEDIOCRES qui invidiâ vicinorum & suspicione carent, ob[illegible] moder[illegible]am potentiam ac refrænatiores affectus, non [illegible] D. Jacobus L[illegible] [illegible]

lo-

lustrum condenti Scriba ex publicis tabulis solenne precationis carmen, quo Dii immortales, ut populi Romani res meliores ampliores que fierent, rogabantur, caneret: Respublicæ satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt, itaque precor, ut eas perpetuo incolumes velint, Valer. Maxim. *lib.* 4. *cap.* 1. Concludendum ergò cum Valerio ibidem, Eam demum potentiam tutam esse, quæ viribus suis modum imponit. Et sentiendum cum Eodem Scipione: Sat auctam habemus Rempublicam; Deus illam conservet!

POSITIO VII.

Tentanda prius sunt omnia amicabiliter, quàm ad arma seu bellum veniatur.

Juxta illud Euripidis:

Verbis id impetrabo: sin minus manu.

Dementes sunt, qui conantur armis

Martis res afflictas hominum componere. Nam si pugnæ sanguinariæ arbitrariæ fuerint rerum, nunquam contentio Civitates deseret mortalium, Euripid. in Helena *act.* 3. Fortuna Belli semper ancipiti est loco. Senec. Præstat aliquando iniqua pax justo bello: Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata victoria, illa in tuâ, hæc in Deorum manu est, inquit Hannibal apud Livium *Dec.* 3. *lib.* 1. *historiar.* De EBRÆIS Ioseph. *lib.* 5. *antiquit. c.* 2. ita. Retinuit eos Senatus, ostendens, non oportere ita subito bellum inferri popularibus, priusquam querelæ verbis disceptatæ sint, cum Lex ne in externos quidem permittat injuria affectis producere exercitum, nisi legatione prius missâ, tentatisque viis, quibus ad saniorem mentem injuriæ autores revocari possent. Multa, quæ nunc non apparent, ex intervallo bellum aperit. Livius *lib.* 33. Lætior erat TIBERIUS, quia pacem sapientiâ firmaverat, quàm si bellum per acies confecisset. Tacit

cit. *lib. 2. Annal.* Ingens victoriæ decus AGRICOLÆ citra Romanum ſanguinem bellanti, Tacit. *in vit. Agric.* Saavadr. *Symbol. polit.* 96. Chriſtiano Principi glorioſius eſt, aliquo ditionis diſpendio pacem & tranquillitatem redimere quàm ſpecioſos & optimos referre triumphos, tantis hominum malis emtos, verba ſunt Erasmi *in præfat. paraphraſ. in Evang. Marci ad Franciſc. Gall. Regem.* HENRICUS AUCEPS ſanè omnibus in rebus pacem bello potiorem cenſuit, Dietericus *in Hiſtor. Auguſtaa Imper. German. famil. Saxon. in Henrico I. theſ.* 11.

POSITIO VIII.

Pax anteferenda Bello, quod nunquam, niſi ex cauſis neceſſariis ſuſcipiendum eſt.

In bellis ſuſcipiendis quoniam illa ingentium malorum inducunt diluvium, oportet omnibus oculis advigilare, ne quid temerè ſtatuatur. Facilè ſumitur bellum, ægerrimè verò deſinit. Saluſt. *in Jugurtha.* FABIUS apud Sil. Ital. *l.* 7. inquit,

—— Non eſt, mihi credite, non eſt
Arduus in pugnas ferri labor, una recluſis
Omnes jam portis in campum effuderit hora.
Magnum illud, ſoliſque datum, quos mitis euntes
Jupiter aſpexit, magnum eſt ex hoſte reverti.

Eſt fortaſſe boni Principis aliquando bellum gerere, ſed tum denique, poſteaquam omnibus fruſtra tentatis hunc adigit extrema neceſſitas, ſcripſit Eraſm. *in præfat. ad paraphr. in Evangel. Marci ad Galliæ Regem.* Pluris amica inter prudentes æſtimatur compoſitio, quàm bellum, Vannozzi *Obſervat. polit. tom. 2. num.* 397.

Nil belli in bello eſt: Cædes, Incendia, Stupra,
Sunt fructus belli; num tibi bella placent?

Adeo abominanda res bellum eſt, ut etiam juſta bella, quæ vix unquam tam feliciter cedunt, quin plus afferant mali, quàm boni, deteſtanda & pro viribus ſint fugienda. Auguſtin. *d. Civit. Dei* 19. Et Euripides apud Polybium *lib.* 12. *Hiſtor. cap.* 14. Bellum morbo ſimillimum dicit, in quo & ſani pereunt; in bello quippe innocentes & noxii juxta cadunt. Tacit. *lib.* 1. *Annal. cap.* 48. CARTHAGINENSES, re ita cogente, juſſu Imilcaris, præconem Syracuſas mittunt, qui, licet victi eſſent, ad pacem tamen adhortatur. Pergratum hoc erat Dionyſio nuntium, ideo bellum pactis componit. Diod. Sicul. *lib.* 13. *biſtor. in fine.* Certè quidem, inquiunt Rhodii apud Livium *lib.* 45. *ab U. C. c.* 22. Vos eſtis ROMANI, qui ideo felicia veſtra bella, quia juſta ſint, præ vobis fertis, nec tam exitu eorum, quod vincatis, quàm principiis, quod non ſine cauſa ſuſcipiatis gloriamini. CONSTANTIUS Romanorum Imperator, referente Ammiano Marcellino dixiſſe fertur: Non inertiæ, ſed modeſtiæ & humanitatis eſſe, Pacem non negligere. TIBERIUS, qui omnia facta dictaque Auguſti vice legis obſervabat, hoc ſive præceptum, ut loquitur Tacitus, ſive exemplum perpetuo ſecutus eſt; deſtinata retinens, conſiliis & aſtu res externas moliri, arma procul habere. *Annal.* 6. 32. HENRICUS II. pulcrius ratus parcendo Imperium, quàm vincendo augere, pacem bello prætulit. Brunner 9. *Bojor.* 4. *ad annum* 1018. In ipſo etiam victoriæ curſu bellum deponendum eſt. In bonis tuis rebus, hoſtium dubiis, tibi ampla ac ſpecioſa danti eſt pax; Ita HANNIBAL ad Scipionem apud Livium 30. 30. Excellentiſſ. Dn. L. Otto Menckenius, Moralium in Alma Lipſienſium Prof. Ordinar. *in eleg. Diſſertat. polit. de Prudentia feſtinandi lente* §. 34. Vovendum cum Hugone Grotio *d. Jur. Bell. & Pac. lib.* 3. *cap. ult. num. ult.* Inſcribat omnia DEUS, (qui ſolus hoc poteſt) cordibus eorum, quorum res Chriſtiana in manu eſt, & iiſdem men-

tem divini humanique juris intelligentem duit,quæque semper cogitet lectam se ministram ad regendos homines,Deo carissimum animal.

Pax plenum virtutis opus,pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est,pretiumque pericli.
Sidera pace vigent, consistunt terrea pace.
Nil placitum sine pace Deo,non munus ad aram
Cum cupias offerre probat,si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro.

Prudentio *in Psychomachia Hesiodo Op. & Dies*: Pax per terram *Alma* audit. Summa;tantum bonum est Bonum pacis,ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci,nihil utilius possideri,uti pulchrè AUGUSTINUS pronunciavit. Hinc & JULIUS CÆSAR in moneta Imperii sui *Caduceum cum cornu copiæ* insculpi jussit,per caduceum pacem, & concordiam,per cornu copiæ omnium rerum abundantiam significans,D. Joh. Stegman *in Christognos. p. m.* 358. Joh. Hieron. Imhoft *d. Rat. Stat. cap.* 39.

POSITIO IX.

Imperii vinculum est Disciplina Militaris.

Romæ in Palatio Farnesiorum, referente Böckelio *præfat. tract. Bellum non bellum*,picturæ Romuli fertur subscriptum: Militarem disciplinam restituit,quâ Imperium feliciter cresceret. Ad conservandam autem disciplinam militarem rigore & severitate opus est,ita ut secundum Clearchi vocem, à militibus Imperator potius, quàm hostis metuatur. Valer. Maxim. *lib.* 7. *c.* 7. Lips. *lib.* 5. *polit. cap.* 13. Verissimè quoque dixit Severus Alexander: Disciplina militari Rempublicam contineri: quæ,si dilabatur, & nomen & Imperium Romanum amissum iri. Gravissima est L. PAPIRII Dictatoris

apud Livium *lib.* 8 Oratio, Majestas, inquit, Imperii perpetuane esset, non esse in sua potestate: Papirium nihil de ejus jure deminuturum, optare, ne potestas tribunitia inviolata ipsa violet intercessione sua Romanum Imperium. Quod si fecisset, non L. Papirium, sed tribunos, sed pravum populi judicium nequicquam posteros accusaturos, cum polluta semel militari disciplinâ, non miles Centurionis, non Centurio Tribuni, non tribunus Legati, non Legatus Consulis, non Magister Equitum Dictatoris pareat Imperio: nemo hominum, nemo Deorum verecundiam habeat, non edicta Imperatorum, non auspicia observentur: Sine commeatu vagi Milites in pacato, in hostico errent, immemores sacramenti, licentia sola se ubi velint, exauctorent: Infrequentia deserant signa: neque conveniant ad Edictum: nec discernant, interdiu, nocte, æquo, iniquo loco, jussu, injussu Imperatoris pugnent: & non signa, non ordines servent: Patrocinii modò cœca & fortuita, pro solenni & sacrata militia sit. AURELIANUS Imperator disciplinam Militarem feliciter exercuit, teste Eusebio *lib.* 7. *Histor. Ecclesiast. c.* 24. Si vis, inquit, Tribunus esse, imò si vis vivere, manus Militum contine. Nemo pullum alienum rapito, nemo ovem contingito. Uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, annona sua contentus vivat, de præda hostis, non de lachrymis Provincialium: in Baltheo, non in popina habeat stipendium. Haruspicibus nihil den..., in hospitio castè se gerant: qui litem fecerit, vapulet. BELISARIUS rusticorum tantam curam habuit, ut in ducendo Exercitu neminem eorum violari, nemini damna inferri pateretur: ne poma quidem ex arboribus pendentia milites sui attingere audebant, Aretin. *lib.* 3. *d. bell. contra Gothos* Procopius *lib.* 14. *d. Bell. Vandal.* ALBERTUS WALLENSTEINIUS, famosus superioribus annis Dux Cæsarianus ingentibus præmiis & atrocibus suppliciis maximos

ximos

ximos exercitus rexit; cujus dona, ut nunquam infra mille scutatos, ita pœnæ nunquam aut ratò citra mortem constitêre: prout è Galeatio Gvaldo, qui in exercitu illius & familia vixit, refert Forstnerus *ad Corn. Tacit. Annal. lib.* 11. TURCÆ hoc tempore in servando ordine Disciplinaque militari cunctas nationes antecellere dicuntur, tanta enim severitate & justitia eam exercent, ut veteres quoque Græcos Romanosque superare putentur, ex Renato Lusignano Hippol. *à Collib. in Princip. cap.* 16. adde Melchior. à Scidliz *in historia peregrinationis suæ.* Bernegg. *Observat. Miscell.* 12. *circa finem.*

POSITIO X.

Magnæ Prudentiæ est, Copias auxilio mittere Bellatoribus Exteris, & cavere, ne exinde affligaris.

Nunquam desunt Principibus Sollicitatores, qui ad auxilia ferenda Eos invitent, urgeantque, ut Socii bellorum gerendorum existant, aureos montes spemque victoriæ amplissimam pollicentes; Verum eô ipsò aliorum mala sæpius sibi Princeps accersit, cum bella non tam facilè restingvantur, parva scintilla sæpe magnam sylvam comburat, dicto Pindari. Prudentissima est dissertatio Baconi de Verulam. *in serm. fidel. cap.* 19. ubi sic infert: Hoc verum est, moderni temporis prudentiam, circa Principum negotia tractanda, in hoc potissimum versari, ut conquirantur magis & aptentur remedia periculorum, cum ingruerint, quàm, ut prudentia solida & constanti summoveantur, antequam impendeant. Verùm, hoc nihil aliud est, quàm in agone cum fortuna experiri. Caveant autem homines, ne obdormiscant circa turbarum materias primas, & inchoamenta. Nemo siquidem scintillam incendium parituram prohibere potest, nec regiones metiri, unde erupturа sit. Principibus frequenter

accidit, ut contradictoria planè appetant, sicut rectè Tacitus. Sunt plerumque Regum voluntates vehementes, & inter se contrariæ: At potentiæ nimiæ Soloecismus est, credere se posse finem rei pro arbitrio assequi, neque tamen media procurare. JOSIAS, cætera pius Rex Imperio laudabiliter cum profuerat, in hoc tamen grande peccârat, quod absque necessitate justaque causâ bello, quod Pharao Necho, Rex Ægyptiorum adversus Regem Asſyriæ gerebat, se miscuerit, neque attentis saluberrimis monitis, à proposito destiterit, unde factum, ut proximo congressu lethali vulnere afflictus occubuerit *2. Paralip. c. 35. v. 20.* Ratio ergo Imperiorum sit, ne possit noceri. Auxiliares copiæ, quibus condicionibus sint admittendæ, docet Saavedr. *Symbol. pol. 92.* Quod si, ait, necessitas aliquando arma auxiliaria petere coëgerit, dicta periculosa sequentibus conditionibus caveri poterunt: si curetur scilicet, ut ne copiæ alienæ majores sint, quàm propriæ; Ut cui veniunt subsidio, is suos iis Duces præficiat. Ut non collocentur in præsidiis Urbium. Ut misceantur dividanturque inter milites cæteros, & mox in hostem ducantur. adde Eundem *Symbol. Polit.* 487.

CAPUT XI.
DE
AULA
POSITIO I.

Princeps non Greges Ministrorum, sed Egregios alat, tamque Virtutis quàm Sanguinis foveat Nobilitatem.

Ad ornatum Palatii pertinere dicimus aptas dignitatibus personas eligere, quia de claritate servientium crescit fama Dominorum: Tales enim provehere Principem decet, ut

quo-

quoties Procerem ſuum dignatus fuerit aſpicere, toties ſe cognoſcat recta judicia habuiſſe, ait Caſſidorus in perſona Theorici Regis *q. variar.* 4. *epiſt.* 3. Eorum tamen ne ſit Prolixitas. TIBERIO modeſta erant ſervitia; & intra paucos libertos domus erat. Tacit. 4. *A.* 7. 2. *& c.* 58. 1. HETRURIÆ DUX ſeu Dux Florentinus, cum fuerit potentisſimus & opulentisſimus, laudatur quod aulam habuerit contractam & parcam. Keckermann. *Syſtem. polit. lib.* 1. *cap.* 23. vid. ſupra Cap. VI. Pos. I. Nobilitatis in Aula magnus eſt honor; Atque omnes boni, dicente Cicerone, ſemper Nobilitati favemus; quia utile eſt Reipubl. nobiles eſſe homines dignos Majoribus ſuis. In Aula IMPERATORIS GERMANICI Nobilium, qui Comites ſunt & Barones hodie magnus eſt numerus. Verùm ſanguinis Nobilitas non ſola attendenda eſt. Facetè Codrus Urceolus *in epigrammate*:

Sis licet ingenuis clarisque parentibus ortus
 Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Adde decus patriæ; & claros tibi ſume propinquos,
 Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Denique quicquid eris, *niſi ſit Prudentia tecum*,
 Magna quidem dico, beſtia ſemper eris.

Add. Ovid. *ad Piſon.* Ergò Vir prudens ex nobilitate ſanguinis non ſuperbit, aliosque deſpicit.

Qui genus jactat ſuum,
 Aliena laudat.

Senec. *in Hercul. fur. A.* 2. *ſc.* 3. Si enim primas intueri velimus origines, nullum fere Regem fore, qui à Servo ortum non trahat; nec Servum, quin à Rege proveniat. Gvazz. *d. Civil. Converſat. Diſſert.* 4. Idem eſt quod Hornejus *lib.* 1. *c.* 6. *Moral. Philoſoph.* ex Boeth. memorat:

Omne hominum genus in terris
 Simili ſurgit ab ortu.

De

De Imperatore pulcrè Leo Philosophus loquitur: Si nobilibus clarisque fuerit Majoribus ortus, *aliquam* hanc commendationem habeat. Neque tamen propter hanc solam dignus hoc munere habetur. Proinde illos qui in Genealogias suas curiosè inquirunt, meritò notat Trajanus Boccalin. *ragguagl. Cent.* 1. *c.* 50. Virtus potius Animi, quæ genus adæquat, in quolibet Ministro spectanda est, optimus quisque Nobilissimus erit. Vellej. *lib.* 2. *cap.* 128. Et quod pomum generosissimum? puto, quod optimum; & eqvus, qui velocissimus; ita hominum, non qui claritate nascendi, sed qui virtute maximè excellit. Quintil. 5. *Instit. Orat. c.* 11. Sapienter quoque Plutarchus *in Sulla*, *c.* 76. Ut Venator non quærit, quod tali Cane natum sit, sed canem, & eques eqvum ipsum, non quod ex equo (quid enim si Mulus ex equo sit?) ita Vir politicus totâ viâ erraverit, si in Rectore non requirat quis sit, sed è quibus. Inter *Stiliconis* laudes reponit Claudian. *paneg.* 2. *in Stilicon.*

—— Non obruta virtus
Paupertate latet: lectos ex omnibus oris
Evehis & nunquam meriti cunabula quæris,
Et qualis, non unde satus.

Verissima manet sententia Juvenalis *Satyr.* 8.

Tota licet veteres exornent undique cerâ
Atria: Nobilitas sola est atque unica *Virtus*.

In Aula Imperatoris Nostri partim Nobiles & Comites, partim Doctores adsciscuntur Consiliarii aulici. Sprenger. *lib.* 1. *Instit. jur. publ. c.* 17. Insuper Princeps Sattellitio, quod penes se habeat, indiget, quod tam Naturalibus quàm Exteris constans, optimum esse tradunt Politici vid. Imhoff. *d. Rat. Stat.* 32. Equidem MARIÆ Scotiæ Reginæ, repudiatis Scotis, custodiam Corporis sui Italis commisisse Bucchananus *lib.* 18. *Histor. Scot.* viam fuisse ad Tyrannidem interpretatur.

Aſt præclarè Boeclerus *Annot. in C. Tacit. Annal.*1. *Cap.* 7. *n.* 11. Id incautè non eſt accipiendum & abſolutè, ſed conſideratis cauſis & circumſtantiis. Prudenter enim ſanè miſcentur interdum Civibus peregrini, ſicut Germanos Auguſtus & alii miſcuêre cæteris, inciduntque cauſæ, ob quas meritò & ſine propoſito tyrannico ad externæ nationis | cuſtodias decurritur. Germani præ cæteris nationibus cuſtodiam Magnatum in aulis expedivere. Sic præter AUGUSTUM Sveton. *in ejus vitâ c.* 49. TIBERIUS Tacit. *lib.* 1. *Annal. c.* 24. CALIGULA Sveton. *in vit. c.* 43. 45. VITELLIUS Dio *l.* 65. CARACALLA Herodian. *l.* 4. *c.* 7. germanis uſi ſunt; quia Nulli Mortalium Armis, aut Fide ante Germanos ſunt, Tacit. *lib.*13. *Annal. c.* 54. *v.* 5. vid. Georg. Wonna *in quæſt. polit. quæſt.* 5. add. Piccart. *comment. in Ariſtot.* 3. *polit. c.* 15. Chokier. *lib.* 6. *aphor. polit. c.* 10. Heiderus *Syſtem. philoſoph. polit. p.* 815. Gerhard. *decad.* 4. *quæſt. polit.* 9. Quoniam verè variis indiget Dominus in Aula Miniſtris, Q. hoc loco *quid de Morionibus Aulicis*, qui facetiis & deliramentis recreant animum, *ſit ſentiendum, an ipſos alere conducat?* Wilhelm Schickardus *d. jur. Reg. Hebræorum cap.* 3. *theor.* 8. de Morionibus ejusmodi apud antiquos nihil reperiiſſe meminit, & mera ſit fabula de Marcolpho Salomonis fatuo. AURELIANUM Imperatorem iis delectatum fuiſſe, atque ante omnes dilexiſſe *phagonem* portentoſæ vocacitatis, qui usque eo comederit, ut uno die ante menſam ejus aprum, vervecem & porcellum, cumque his centum panes vorârit, & per infundibulum vini orcam biberet. Favius Vopiſc. *in vita Aurelian.* Neque in Regum & Principum tantum, ſed & in Pontificum aula Moriones videas, qualem PIUM II. adhibuiſſe teſtatur Platina; & de HADRIANO VI. memorat Jovius in ejus vita, prout habet D. Ioh. Benedict. Carpzov. in notis ad Schickardum *d. l. lit. f.* Verùm res periculorum plena eſt fovere ſtultitiam Mo-

E e rio-

rionum. Sunt enim homines isti exploratores & insidiatores, ut *Anacharsis* accersitis in convivium peritis ad risum commovendum hominibus, solus omnino non riserit: post autem inductâ Simiâ in risum solutus dixerit: Naturâ id esse animal ridiculum, hominem autem arte & studio, eoque parum honesto; id memorante Athenæo *lib.* 14. AUGUSTUS & ALEXANDER SEVERUS Impp. eos tolerare minimè voluerunt. Saavadra *Symbol. Polit.* 72. FRIDERICUS Imp. Interrogatus, an Moriones in convivium intromittendi essent? Neque stultis, respondit, delector, neque superbis possum esse amicus. Æneas Sylvius *lib.* 2. *Comment. de reb. gest. Alphons.* ANTONIUM HELIOGABALUM reprehendunt Politici, quod scenicis, theatricis, saltatoribus & similis farinæ hominibus aula Ipsius refertissima, & comitatus ejus ornatus erat. Tholosan. *lib.* 6. *de Republic. c.* 3. §. 9. Istosque Errones hominum valdè periculosos esse, historiæ satis comprobant. BOLESLAUS II. Monsterbergensem Principem Silesium è Morione suo, quem ad iram provocaverat, in arce *Bolckenhano* jactu lapidis occisum describit Curæus *in Annal. Silesiæ.* LUDOVICUS I. Bojorum Dux, Palatinus Rheni XVI. Kalend. Octobr. Anno M. CC XXXI *Kelhimii*, dum post cœnam in ponte deambulat, â Stichio Morione, quem per lusum incessebat, cultello lethali vulnere sauciatur, moxque in conspectu omnium Aulicorum exanimatus corruit, teste Hier. Zieglero *in Histor. Illustr. Germanorum Vir.* Dn. L. Carpzov. *d. l.* add. Keckermann. *lib.* 1. *System. polit.* Num inter Moriones matrimonium sit concedendum vid. Zeiler. *Cent.* 4. *qu.* 66.

POSITIO II.

Miscella Religio in Aula ne toleretur.

Re-

Religio personata seu simulata pietas communis vitiorum character est, docente Erasmo. Joh. Brochmond. *in Specim. Ethic. Histor.* puram unamque Religionem esse amplectendam docet Cicero *de Natur. Deorum* II. Cultum, ait, Deorum esse optimum, eundemque castissimum atque sanctissimum, ut eos semper purâ, integra, incorrupta & mente & voce veneremur. Ast in quibusdam Aulis proh! secundum hodiernam praxin

Religio inane nomen est,
Prætereaque nihil.

Cujus rei illustre testimonium ex relat. Socrat. Chrestiens. *du Sr. Balzac. p.126.* prout in tract. qui inscribitur *Homo Politicus* (quem librum Christophorus Pellerus *scelerati Politici* titulo rectè infamavit. vid. Dn. Profess. Thomasius *in Idea Boni Perfectique Politici* § 30.) memorat Pacificus à Lapide §.2. Princeps ille moribundus reliquisse dicitur; Cum enim horâ ante mortem ultimâ Concionator aulicus Ordinarius, duobus aut tribus aliis comitatus, ad illum accessisset, appropinquans lecto nomine totius Ecclesiæ conjurasset, testimonium Religionis suæ, quam profiteretur, aliquod daret, ac formulam Confessionis fidei coram Circumstantibus ederet, in hunc finem addens, ut ultima tanti Principis verba in memoria hominum conserventur, & autoritatem concilient opinioni, quam sectatus esset. Subridens paululum huic petitioni ille, mox respondebat, Domine, mi Amice, doleo, quod non possim satisfacere in eo, quod petiisti, vides enim, me jam in tali statu non esse, ubi longè desistere, aut subtilem fidei meæ rationem reddere concessum, paucis ideo dicam verbis; Credo duo & duo esse quatuor, ac quatuor ac quatuor Octo, addens, Dominus iste, (monstrans digito Mathematicum quendam tum præsentem,) cætera meæ fidei puncta melius tibi declarare poterit. Sic hodie cum Religione luditur.

Nunc gerit hanc, aliam speciem nunc induit anno
Religio, ad Procerum sensa parata loqui.

TIBERIUS circa Deos ac Religionem negligentior; quippe addictus Mathematicæ, persuasionisque plenus, cuncta fato agier credidit. Sueton. *in Tiber. c.* 69. Variam & miscellam Religionē ÆGYPTII Reges introduxerunt stabiliendo sceptro, & ne unquam conspirare inter se possent. Diodor. Sicul. *lib.* 2. Malè ELEESAITÆ statuerunt, ad salutem sufficere, ut aliquis fidem habeat in animo, & propterea non esse peccatum, tempore persecutionis illam verbis negare, multo minus celare. Gregor. de Valentia *Tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 1. Ergo sibi caveant Principes, ne peregrinæ Religioni addictum in Consiliariorum, inprimis aulicorum consortium recipiant, quantamcunque etiam pietatem præ se ferat & vitæ sanctimoniam. Non pigebit legisse, quæ Dn. Martin. Naurath *in additionibus ad Hippol. à Collib. Consiliarium num.* 5. adducit: Es ist mit Herren und Dienern besser dran/ daß sie einer Religion seyn/ und thut ein Herr nicht wol/ wenn Ers ändern kan/ daß Er einer andern/ als seiner wahren Religion/ zugethane Diener/ sonderlich zu Geheimbden und anvertrauten Räthen (mit andern hat es so viel nicht auf sich) gebrauchet/ weiln die Exempel bezeugen/ daß dadurch auch wol die Herren selber zu anderer Religion überredet/ und bey Land und Leuten grosse mutationes und Enderungen/ im Geist- und weltlichem Statu, die viel unheils nach sich gezogen/ erfolget. Es kan auch leichtlich geschehen/ und gibt es gleichfals die Erfahrung/ daß solche Diener/ wann sie ihres Herrn Statum erfahren/ und in etwas penetriret/ hernacher resigniren/ und zu des Herrn wiederwertigen treten/ auch sonsten bey wehrender Bedienung das jenige was Sie erfahren/ so ihren Religions-Verwandten nachtheilig/ demselben/ wenn es

schon

schon des Herrn Intention und Vorhaben nach theilig/ eröfnet. Etliche haben eine Hof-Religion/ wollen sich weder zu dieser/ noch jener bekennen/ sagen/ sie seyn gute Christen/ auf Christum und keinen andern getaufft/ welches zwar wahr/ aber damit wurde der Unterscheid der Religion nicht aufgehoben. Diesem vorzukommen/ und damit ein Herr Gewißheit habe/ ist an theils Höfen und Orten ein Religions-Eyd eingeführet/ welchen die Diener/ sonderlich die Räthe bey Antretung ihrer Dienste/ ablegen müssen. Daß aber ein Herr und Regent einen Religions-Eyd von seinen Dienern erfordern und abnehmen möge/ ist der Schrifft nicht zu wieder/ sondern kan mit vielen Biblischen Exempeln und Sprüchen heiliger Propheten und Gottseeliger Könige bewehret werden. Im 5. Buch Mos. im 29 Cap. sagt Moses/ daß das Volck einen Eyd gethan/ daß sie bey dem Gesetz-Buch und bey Gott dem Herrn bleiben/ und in seinem Bund einhergehen wolten. Deßgleichen im 2 Buch der Chron. Cap. 15 v. 14. ist ein stattlich Exempel zu finden/ daß König Assa mit seinen Unterthanen in den Bund tritt/ und Sie mit einander dem Herrn schweren/ mit lauter Stimme/ mit Thönen/ mit Trommeten und Posaunen/ welches denn ein öffentlicher Religions-Eyd welchen der König/ Unterthanen und Diener mit einander abgelegt/ gewesen Aulæ olim non rarò Theatra fuerunt tam eruditionis, quàm pietatis edecumatæ; Sicut Aula CHALDÆORUM, olim Ægyptiorum florente Josepho, Persarum, evecto Mardochæo. D. Gejer *ad Daniel. cap. 1. vers. 19. 20.*

POSITIO III.

Princeps in eligendo Aulico spectet Pietatem, Benevolentiam, Prudentiam & Temperantiam.

Minister Aulicus fit RELIGIOSUS. Pietas robur & pulchritudo est officiorum politicorum, Perez *in Aulicis aphorism.* Contra verò nihil tetrius est atque immanius, magisque contra naturam, quàm funditus omnem vim divinam (præsertim in aula) tollere. D. Conring. *de Consiliar. in Republ. muner. thes.* 16. BENEVOLENTIAM habeat erga suum Dominum, quæ custodia tutissima est; Isocrat. *ad Nicom.* Benevolentiæ antiquissimæ exemplum refert Schleidanus *lib.* 15. *comment. d. Relig.* in SEBASTIANO RIBISSO Myso, Mauritii Saxoniæ Ducis formosissimi, aulico, de quo ita Dilherrus *in differtat. de Aula & Aulicis thes.* 49. Et cum anno 1542. „aliquando cum Domino suo (Ribissus) à castris longius- „cule progrederetur; in sævissimas Turcarum manus in- „cidebant ambo. Ibi hostes ringi, gladiorum acies strin- „gi, manus conseri, vulneraque hîc illic infligi. Sed Prin- „ceps optimus, & vix sedecim annos natus, equô confossô „in terram effundebatur, atque mortem intentabant omnia „præsentissimam. Quod interea Sebastianus? omnia auxi- „lii media secum anxiè pensiculabat: nullum verò invenie- „bat aliud, quàm ut, si re non liceret alia, Principem sangui- „ne tueretur suo. Principem igitur humi jacentem, derepen- „tè incumbebat, & tantisper corpore proprio tegebat, donec „è castris, qui hostem abigerent, adventarent. Evadit ita Prin- „ceps: Sed Sebastianus multis dilaceratus vulneribus, quæ „corpore suo, Principis loco, exceperat, ad fatalem illum abit terminum & triste exilium. PRUDENS sit. Prudentia bonum semper est quàm maximum. Comic. Græc. perfectúmq; bonæ mentis humanæ. Senec. *Epist.* 89. Ad hanc Virtutem acquirendã tria potissimam requiruntur: Ingenii felicitas, Doctrina & Experientia; Naturalem quodã modo homini virtutem (ἐυφυΐαν) inesse Cicero experientia multiplici confirmat; Erat, inquit, in *L. Crasso*, & *L. Philippo* multus lepos, in *M. Scauro* & in *M. Bruto* singu-

singularis severitas, in C. Lælio multa hilaritas, ejus familiari Scipioni vita tristior. D Rachel. *in Dissertat. d. Bona Indole thes.* 28. De Doctrinâ vid. Supra *Cap. 1. & 2.* Mediocria ingenia in aulis sunt optima, sublimia Principibus minus conducibilia, cũ hæc sint inquieta & turbulenta, quæ nec quiescant, nec alios sinant quiescere, Richter *axiom. pol.* 348. novandisq; quàm gerẽdis aptiora, Iust. Lipsius *in not. ad lib.* 3. c. 4. Exemplo sit *Machiavellus* miro ingenii acumine homo sed Cæsari Borgiæ minus bonus & felix minister. EXPERIENTIA consummatur prudentia; Optimè enim Gellius *lib.* 13. *Noct. Atticarum c.* 6. ait: Qui prudens esse rerum humanarum velit, non libris solis neque disciplinis Rhetoricis Dialecticisque ei opus est, sed oportet eum versari quoq; exerceriq; in rebus cominus noscendis periclitandisque, eaq; omnia acta & eventa firmiter meminisse, & deinde sapere ac consulere ex iis, quæ pericula ipsa rerũ docuerint, non quæ libri tantum aut Magistri, per quasdam inanitates verborum & Imaginum dictaverint. Et quemadmodum in bello singulari prudentiâ opus est, ita non minus in aula; accedas ad eam sicut ad ignem; scilicet moderate!

Aula suis rapidos imitatur moribus ignes,
 Errat, ad hanc facilem qui putat esse viam.
Ureris, propriùs si paulò accesseris: at mox
 Horridus algebis, si procul abfueris.
Si medium teneas, calidi splendoris & Aulæ,
 Quæ satis est nunquam, copia destituet.
Ergo frequens aulæ cave ne sis Hospes, eandem
 Nec fugias, felix si cupis esse diu.

Peucerus. *add. Corn. à Lapide ad Daniel. Cap.* 6. *v.* 5. Huc pertinet PROVIDA DIFFIDENTIA, qua nihil melius utiliusque mortalibus, vitæ fortunarumque custodia est; ubi ea non est, cautio esse nequit; sine hac autem omnia periculis forent exposita, Saavedr. *Symbol. Pol.* 51. quæ sententia etiam est Solonis:

Mon-

Mortalibus à cunctis caveas:
Ne forte quis occultis animo
Odiis, amicum te appellet vultu hilari:
Bifidaque ex ore sonet lingua.

Proverbium Gallorum est: La Sobrieté & la desfiance sont les nerfs de la prudence, i.e. sobrietas & diffidentia nervi sunt prudentiæ. Lebleu *d. instr. fut. consil. Dissert.* 1. *c.* 12. §. 3.

Vir vide- quid cui dic- dum magnus hab-
Et vide- as, ne forte ru- as, dum stare vid- eris.
Prospici- quem despici- dum lædere qua-

Jacob. Bornitius *emblem.* 38. *syllog.* 1. Sæpius quis laudatur, vel ad altiora promovetur, modò ut supprimatur; Sic Polybius *de Apelle lib.* 4. Apelles nequaquam ob hanc causam mutato consilio, Taurionem, qui Peloponesiacis rebus præfectus fuerat, Magistratu dejecit, non incusans eum, sed laudans & dicens, aptissimum esse, qui in castris versaretur, volens ipse alium illius loco Peloponesiis præficere; novus quippe modus calumniæ inventus est, non vituperando, sed laudando famæ atque commodis hominum insidiari. Quæ malignitas, invidia & fraus ab illis primò fuit excogitata, qui in aulis Principum vitam degunt, qui id faciunt, eos Seneca per ornamenta ferire dicit. add. Ammian. *lib.* 15. Verbis itaque non ubique fidendum:

Cum voco te Dominum, noli tibi Cinna placere;
Sæpe etiam Servum sic resaluto meum.

Neque blanditiis. vid. commentat. Nostr. *d. Osculo Sancto cap.* 8. *num.* 21. Fraus non est, quæ fraudem excludit; hanc enim excludere dolus bonus est. Tiraquell. *de Retractu in præfat. num.* 70. utendum cautione METELLI, qui callidissimè hostem, nunc precibus, nunc minis, jam simulatâ quasi verâ fugâ eludentem, artibus suis aggressus est. Flor *lib.* 3. *c.* 1. SIMULARE quoque & DISSIMULARE noverit Aulicus;

Ne-

Neque res magnæ ſuſtineri poſſunt ab eo, cui tacere grave eſt, Curt. *lib.* 4. quod de Principe ait Saavedra *Symb. polit* 43. Id Aulicus quoque ſibi dictum eſſe exiſtimet; Scilicet fatua foret ingenuitas, quæ cor detegeret, & periculoſum Imperium ſine aliqua cautione. Semper veritatem diſertè eloqui, periculoſa eſſet ſinceritas, cùm taciturnitas præcipuum ſit regnandi inſtrumentum. Quisquis ſecretum leviter committit alteri, ſceptrum eidem unà tradit. Mentiri Principem non decet; licebit tamen interdum, ut taceat, aut veritatem celet; non verò, ut leviter credat, aut temerè confidat. Illud Ovvenii *lib.* 1. *Epigr.* 92. firmisſimo nititur tibicine, ita aſſeverante D. Enoch Glæſero *diſp. d. Simulatione theſ.* 40. in æterno quaſi memoriæ geminato jubare reſplendeſcit obeliſco:

Diſſimula, ſimula, quoties occaſio poſcit,
Moribus ut morem temporibusque geras.
Temporibus, qui rite ſapis, ſervire memento
Omnibus, ut tempus ſerviat omne tibi.
Tutus ubique manes, ſi calliditate valebis,
Non eſt ſimplicitas digna favore magis.

Lyſandri Lacedæmoniorum Ducis ſcitum erat: Quod ſi Leonis pellis tegendo corpori non ſufficiet, vùlpinam partem aſſuendam eſſe. Marſalaer *d. Legatis lib.* 1. *diſſert.* 37. Prudentiæ quoque politicæ eſt, cum Principe non contendere de prudentia: Caveat ſedulò, inquit Saavedra *ſymb.* 9. qui cum Principibus agunt, ne cum iisdem de ſcientiæ aut ingenii laude videantur contendere; quòd ſi caſus aliquando ita tulerit, cedant potius, & palmam iisdem ultrò deferant. TEMPERANTIAM, ſi qua, alia eſt virtus in Aulico requirimus, ea enim effato Peripateticorum Prudentiæ Conſervatrix eſt. Hippolit. à collib. *in Princip. cap.* 16. Et ut ille ait: Anima ſiccior præ reliquis prudentior. Temperantia, inquit Seneca, voluptatibus imperat: alias odit atque abigit,

alias dispensat,& ad sanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipsas venit. Ebrietas quid designet vel gestibus vel verbis, ut complures collectam Principis gratiam unico propemodum facto effuderint,non ignorant,qui parvum vitæ tempus in aulis consumpsêre. Ebrietatis vitium est mare malorum omnium,D. Gejer *in Daniel.c.5.v.2.* Multi eam luunt acerbissimè,exuti tum honoribus,tum vita,tùm salutis spe omni in æternum. Ita ELLA perit ebrius,1.*Reg.* 16. 11. AMMON,2. *Sam.* 13.28. BELSAZER *Dan.* 5. 30. aliique infiniti,Idem *ad Daniel.* 5. Nullum sanè vitium est, inquit Lansius, *in Orat. Contra German.* quod non secum ducat illa venefica,titubatio capitis, subversio sensuum,ignominiosus languor in ipsis satellitio sunt. Cernas juvenes tantæ fortitudinis, ut præsentia sua terrorem incutiant Hostibus, qui vino victi de convivio portantur foras, exinde ad convivium reportantur, quos putaveras mane invictissimos Heroas,vesperi Servis propriis subjectos videbis,qui manibus portant Militem bellatorem, sine ferro vulneratum, sine pugna interfectum, sine hoste turbatum, sine senectute tremulum. Lepidè Poeta:

Unde suum ducat quæris cerevisia nomen?
Quod cerebrum visat sæpe, Sabelle, tuum.

De Salutipotationibus, quæ in Aulis infrequentes non sunt, vid. D. Schalleri *Dissert. Ethic. d.* φιλοινία Germanorum Argentorati & D. Philippi Mülleri *d. Poculo Salutis Jenæ habitas.* Dum affectus Amoris multa quoque mala perpetret,& conversatio mulierum generosæ indolis Aulicum quandoque perdat,ab amore,inprimis lascivo,sibi temperandum,planeque abstinendum est. Contineat oculos,ne oberrent in venusta consideratione virginum *Jobi* 31. *v.* 1. Namque

—— Iter nunquam ingredietur honoris,
Lascivæ addictus qui nimis est Veneri.

Et

Et miser est, qui formæ, verbis, ingressibus fœminarum fidit.
—— Nil est mendacius ipsâ
Fœminâ, & insuetis quo te magis improba palpat
Blanditiis, hoc esse magis tibi scito cavendum.

Marcellin. Palingenius *in Cancro pag. mih. 72.* Astuta animalia sunt, fraudes moliuntur, emta facie, & arte acquisita pulchritudine juvenes in retia sua attrahere nihil non laborant. Puellam elegantiæ studiosiorem lepidè depingit Taubmannus *in Gynæc. Poet. pag.* 585.

Cùm pulcerrima sit, plus quàm pulcerrima dici
Expetit, & formæ nescit habere modum.
Adsciscit mercata sui simulamina vultus,
Excitet ut majus vis geminata, decus.
Æstuat ipsa sui vehemente cupidine, & audit
Judicium Speculi terque quaterque sui.
Nec toties vidisse sat est, juvat usque morari,
Seque sub aspectum sæpe vocare suum.
Fingit, Diffingit: Format, Deformat & aptum est,
Nil satis: & reperit non tamen apta magis.

Ast infamis Paris multas in inferno formosas Helenas reperit:

Sunt apud infernos tot millia formosarum.

Propert. *l. 2. & 21.* Engelgrave *emblem. 11. Domin. V. post Epiphan. pag.* 83. Tales fœminæ sylvas amatorias volvere suescunt, nocteque dieque amabilia inveniunt, ac nôrunt in publicum prodeuntes faciem præ se ferre modestam, pulcram & allicientem, ut si ipsas videas, videantur esse quantivis pretii, occasionemque suppeditant cum Amasiis vel confabulandi vel officio epistolari conferendi, donec

Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem
Deveniant. Virg.

Ubi de juvenis fortuna sæpius conclamatum est.

alias diſpenſat,& ad ſanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipſas venit. Ebrietas quid deſignet vel geſtibus vel verbis, ut complures collectam Principis gratiam unico propemodum facto effuderint,non ignorant,qui parvum vitæ tempus in aulis conſumpsêre. Ebrietatis vitium eſt mare malorum omnium,D. Gejer *in Daniel.c.5.v.2.* Multi eam luunt acerbisſimè,exuti tum honoribus,tum vita,tùm ſalutis ſpe omni in æternum. Ita ELLA perit ebrius,1.*Reg.* 26.11. AMMON,2. *Sam.* 13.28. BELSAZER *Dan.* 5. 30. aliique infiniti,Idem *ad Daniel.* 5. Nullum ſanè vitium eſt, inquit Lanſius, *in Orat. Contra German.* quod non ſecum ducat illa venefica,titubatio capitis, ſubverſio ſenſuum,ignominioſus languor in ipſis ſatellitio ſunt. Cernas juvenes tantæ fortitudinis, ut præſentia ſua terrorem incutiant Hoſtibus, qui vino victi de convivio portantur foras, exinde ad convivium reportantur, quos putaveras mane invictisſimos Heroas,veſperi Servis propriis ſubjectos videbis,qui manibus portant Militem bellatorem, ſine ferro vulneratum, ſine pugna interfectum, ſine hoſte turbatum, ſine ſenectute tremulum. Lepidè Poeta:

Unde ſuum ducat quæris cereviſia nomen?
Quod cerebrum viſat ſæpe,Sabelle, tuum.

De Salutipotationibus, quæ in Aulis infrequentes non ſunt, vid. D. Schalleri *Diſſert. Ethic. d.* φιλοινία Germanorum Argentorati & D. Philippi Mülleri *d. Poculo Salutis Jenæ habitas.* Dum affectus Amoris multa quoque mala perpetret,& converſatio mulierum generoſæ indolis Aulicum quandoque perdat,ab amore,inprimis laſcivo,ſibi temperandum,planeque abſtinendum eſt. Contineat oculos,ne oberrent in venuſta conſideratione virginum *Jobi* 31. *v.*1. Namque

—— Iter nunquam ingredietur honoris,
Laſcivæ addictus qui nimis eſt Veneri.

Et

Et miser est,qui formæ,verbis,ingressibus fœminarum fidit.
—— Nil est mendacius ipsâ
Fœminâ,& insuetis quo te magis improba palpat
Blanditiis, hoc esse magis tibi scito cavendum.

Marcellin. Palingenius *in Cancro pag. mih.* 72. Astuta animalia sunt,fraudes moliuntur,emta facie, & arte acquisita pulchritudine juvenes in retia sua attrahere nihil non laborant. Puellam elegantiæ studiosiorem lepidè depingit Taubmannus *in Gynec. Poet. pag.* 585.

Cùm pulcerrima sit,plus quàm pulcerrima dici
Expetit,& formæ nescit habere modum.
Adsciscit mercata sui simulamina vultus,
Excitet ut majus vis geminata, decus.
Æstuat ipsa sui vehemente cupidine, & audit
Judicium Speculi terque quaterque sui.
Nec toties vidisse sat est,juvat usque morari,
Seque sub aspectum sæpe vocare suum.
Fingit,Diffingit: Format,Deformat & aptum est,
Nil satis : & reperit non tamen apta magis.

Ast infamis Paris multas in inferno formosas Helenas reperit:

Sunt apud infernos tot millia formosarum.

Propert. *l.* 2. *&* 21. Engelgrave *emblem.* 11. *Domin. V. post Epiphan. pag.* 83. Tales fœminæ sylvas amatorias volvere suescunt, nocteque dieque amabilia inveniunt,ac nôrunt in publicum prodeuntes faciem præ se ferre modestam, pulcram & allicientem,ut si ipsas videas,videantur esse quantivis pretii,occasionemque suppeditant cum Amasiis vel confabulandi vel officio epistolari conferendi, donec

Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem
Deveniant. Virg.

Ubi de juvenis fortuna sæpius conclamatum est.

Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa. Horat.

Memorabilis sanè est JOSEPHI Continentia & summâ laude digna, qui cum juvenis esset, & sollicitaretur à fœmina sine dubio Juvencula, Calixtus in Genes. *cap.* 39. *v.* 11. non tamen capiebatur; Omnibus Aulicis imitandum exemplum. Optimum verò contra amorem remedium est *Negotium*:

—— —— finem qui quæris amori;
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

Ovidius.

Neque Otio in Aulâ indulgendum est;

Otium enim fomes vitiorum est, otia mentem
Ad mala multa trahunt, Otî comes ipsa libido est.

Palingenius *in Leone.* Idem est quod habet Diogenes: Libido est Otiosorum Negotium, & Ovid. *lib.* 1. *de remed.*

Quæritur Ægysthus quare sit factus Adulter?
In promtu causa est, desidiosus erat.

Adde supra *Cap.* 2 *Posit.* 9.

POSITIO IV.

Aulicorum mores elegantes decorique habitus Aulam Principis commendant.

Benigni mores alliciunt homines ad amorem & furantur quasi affectionem, eorumque venustate non solùm favor populi, sed & Regum benevolentia conciliatur: Casel.

Sint tibi Gallorum Rex & Regina Parentes,
Et maneat Virtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te, quàm tibi rustica mater
Si sit, & ignotus rusticus ipse pater.

Uti vinum austerum non est aptum potioni: sic mores agrestes non apti sunt hominum conversationi, inquit Socrates apud Plutarchum. Sit igitur ex doctrina Hippol. à Collibus in

in palatin. Aulici inceſſus nec tardus, nec concitatus nimis, nec vacillans; Sed gravis; & tamen non affectatus.

Ne geſticulatim loquere aut caput manusque
Jacta: Nimis hæc optima dicta venuſtant.
Sed nec ſic, quaſi cum alio levis loquare,
Spectes aliorſum: Tua frons ſit apta fronti.
Sed utrumque modeſtè dabis, alterna repones.

Durus de Paſculo (Eberhard à Weihe, *in Aulic. polit. reg.* 76. Io. à Gokier. *Theſaur. Polit. aphor. part.* 2. *l.* 3. *diſc.* 32. Eſt in ipſo motu, geſtu, inceſſu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis ſtatu cognoſcitur: hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut levior, aut jactantior, aut torpidior, conſtantior, purior & maturior æſtimatur. Cic. *lib.* I. *Officior.* Nihil in omnibus Aulici moribus fiat, quod cujusque offendat affectum, dicente Aug. *in Reg.* Videat, ne ſuperbia & faſtu Nobiliores & alios præclaros Viros offendat, invidiamque in ſe concitet, Durus d. Paſculo *in Aulic. Polit. theſ.* 71. SIGISMUNDUS Imp. Reges ac Principes in terris beatos eſſe dixit, ſi, excluſis ſuperbis, manſvetudinis humanitatisque cultores in curiam adſciſcerent, referente Ænea Sylvio *lib.* 2. *comment. d. rebus geſt. Alphonſ.* Veſtitum Aulicorum quod attinet; ex cultu Miniſtrorum æſtimant vulgò Principis ingenium. Quippe decet Principum Miniſtros in Principis honorem ornatiores incedere, non ſicut alii inferioris ordinis. Perez *ad tit. C. d. veſt. holoſer.* Nobilibus & plebejis, utique ſui & certi quidam cultus ſint, his, qui ordinibus & dignitate antiſtant, Tac. II. *Annal.* Apud INDOS nemo niſi nobilis byſſum poterat induere, teſtante Philoſtrato *in vit. Apolon. lib.* 2. ROMANORUM Nobiles lunulis in pedibus utebantur. Unde Juvenalis *Satyr.* 7.

Nobilis & Generoſus
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ,

Veſtis apud Vulgum magnam gignit autoritatem, juxta illud:

Hunc Homines decorant, quem veſtimenta decorant.
Laudatur Auguſtisſimi Imperatoris LEOPOLDI pompa, cum Imperatricem Margaretham Thereſiam Philippi IV. Regis Hiſpaniarum Filiam, Viennæ in thalamum introduceret, ubi gemmis, auro, pretioſis pannis induti undique Miniſtri ſeſe oſtendarint. D. Struve *Diſſertat. d. Eo, quod circa. veſt. juſtum eſt. Sect.* 2. *theſ.* 7. Sit itaque Princeps etiam in veſtitu & corporis ornatu ſplendidus, ut qui vident, ob aſpectum principatu dignum judicent. Luxum autem repudiet. Habet enim ornatus magnificentiam, luxus redundantiam. Zinegrefius *emblem. Ethic. polit.* 54. Hodienum Capillamenta ornatus cauſa geſtantur; cum moderatione tamen. Seneca *lib.* 1. *d. vitæ brevit.* lepidè invehitur in calamiſtratos Adoleſcentes, verbis: Quid illos vocas, quibus apud tonſorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccreverit, deinde ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut disjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur: quomodo iraſcitur, ſi tonſor paulo negligentior fuit, tanquam vivum tonderet? quomodo excandeſcunt, ſi quid ex juba ſua in annulos ſuos reciderit? quis eſt iſtorum, qui non ſolicitior ſit de capitis ſui decore, quàm de ſalute; qui non comptior eſſe malit, quàm honeſtior? Hoſne otioſos vocas, inter pectinem & ſpeculum occupatos. Lepidum eſt, de raſura quod habet Wolffgang Heiderus *in hypotypoſ. Scholaſtici boni ſimul & mali anno* 1607. Jenæ exhibita: Ante centum annos & ſexaginta (jam 229.) Cæſariem omnes fere alebant, ſed *tonſuram* nemo niſi *Moriones*. Cum autem Philippus Bonus Dux Burgundiæ, Caroli V. Abavus maternus, ut doloribus capitis mederetur, ſvaſu Medicorum ſibi capillos radi juberet, quod tum quidem temporis

poris ignominiosum habebatur: Plerique Aulicorum idem fecerunt in gratiam sui Principis, idem Populares, idem Vicini, & ita pridem hæc tonsura, quæ olim Fatuorum erat propria, totam Europam fere pervasit. add. Beyerling. *in fest. Epiphan.* §. 3. Est etiam alius atque alius pro diversitate ætatis vestitus; Alium dixerim esse vestitum puerorum, alium juvenum, alium Senum, & hunc omnium honestissimum esse debere, Gvevara *in Horolog. Princip. lib.* 3. *Cap.* 20.

POSITIO V.

Sensim & gradatim ad honores in Aula ascendere expedit magis, quàm subitò evehi.

Augusteum illud PAULATIM à Tacito *A.* 1. 2. 2. expressum in Aulâ observetur: Gloria fugientes magis ac magis sequitur, & in tempore spreta, cumulatior redit. Senec. *lib.* 5. *d. benef. c.* 1. Promotiones verò subitæ periculosæ sunt.

Præcocia ancipiti titubant molimina talo;
Ast maturatum perpetuatur opus.

D. Glæser. Casum potius appetit, qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta assensum quærit. Boet. 1. *metr.* 6. Remigem oportet ante esse aliquem, quàm clavum in puppe tenere: ac postea demum proretam agere atque observare Aquilones: ac deinde gubernare ipsum seipso. Aristoph. *equitib. act.* 1. *sc.* 3. Magnus CRASSUS, cum se capta urbe Zenodotia Imperatorem ab exercitu salutari sustinuisset magnam sustinuit infamiam, abjectusque est habitus, nec majora sperare, qui se tam tenui successu efferret, Plutarchus *in Crass. Observat. Miscell.* 32. Contrà CLODIUS Albinus, cùm Commodus Imperator ob res præclarè gestas Nomen ei Cæsareum obtulisset, & dandi stipendii facultatem, & pallii coccinei utendi, his omnibus prudenter abstinuit, dicens: Commodum quærere, qui aut cum ipso perirent, aut quos

eum causa occidere posset, Lamprid. *in ejus vita.* TITUS POMPONIUS Atticus honores non petiit, cum ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem, Cornel. Nepos *in Attic.* De progressu in Aula vide Institucion. Viri Aulici ex Idiomate Italico, *c.* 32.

POSITIO VI.

Honores Aulici ne sint venales.

Multi indigni per largitiones ad Dignitatem prorumpere conantur. Petr. Gregor. *d. Republ. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 27. Ditioribus verò in prædam cedunt munera, nullusque virtutum meritis locus relinquitur. Boter. *lib.* 7. *d. Illustr. stat. & polit. c.* 2. neque parcit pecuniæ, ut suffragia demereatur immeritus, uti admonet Claudianus *in* 3. *Gon. Consul.*

Trudis avaritiam, cujus sævissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, & pretiis commercia petit Honorum.

Sordidissimis artibus multi compendiosius ad divitias propeperant, quàm antiqua Nobilitate spectabiles paternisque opibus utentes, & Majorum dignitate. Hoc modo dum ad emendæ Curiæ, aut Præfecturæ ambitum nummorum pugna initur, sæpissimè ii vincunt, qui, ut sanguine, ita & ingenio cedunt, Barclajus *Icon. Anim. C.* 3. Ordo autem regni, ubi venum licitantibus officia exponuntur, evertitur. Tholos. *de Republ. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 17. Folcius Pacianus *de vero justoque Principe Cap.* 2. Intrusio, inquit Ioh. Casus *lib.* 2. *Sphær. Civitat. C.* 9. hæc est, non electio, quâ propter quæstum, honorem in Civitate quæris, Rempublicam venalem & sordidam Civitatem facis. Quid vis pecuniose Mercator? Ambis Magistratum (officium Aulicum?) dic, quantum dabis? Centum, heu nimis leve, ducentos dabo: Ne id quidem placet. Gradarium spadonem fortasse addam, jungamus dextras! Heus tu

jura-

jurabis devotè, te nihil dedisse, politicum hoc est, modò subsit lucrum. O Christe, si latius hoc serpat malum, quem lapsum & lucem Civitatis (Aulæ) video? Sed connivere oportet, nam dies mali sunt, corrupti Cives. Atque hinc fit, ut pecunia, non prudentia; quæstus, non Virtus; affectio hominis, non moderatio æquitatis in Civitate (Aula) regnent. Vid. supra *Cap. VI. Pos.* 8, De CANDIDATIS apud Romanos palam in comitiis mensas numerarias ponentibus ementibusque suffragia Lucan. *lib.* 1,

Hinc rapti fasces pretio, sectorque favoris,
Ipse sui populus, lethalisque ambitus Urbi
Annua venali referens certamina Campo.

Plinius *lib.* 3. *Epist.* 2. laudat ARRIANUM MATURIUM: Caret ambitu, ideo se in equestri gradu tenuit, qvum facilè posset ascendere altissimum. Ergò

Virtute ambire oportet, non Fautoribus:
Sat Fautorum habet semper, qui rectè facit.

Quanquam Amicos ad consequendas dignitates aulicas parare sibi vetitum non est; Neque enim cuiquam tàm clarum statim ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam, commendatorque contingat. Plinius *lib.* 6. *epist.* 23. Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium Cancellarius D. Engelbrecht dixisse perhibetur; Si omnibus ornatus esses virtutibus, ac te in domicilium contraxisset prudentia, & cunctæ qualitates ad instar flammarum ex faucibus relucerent, amico tamen careres, frustra est, quod de tua spem concipias promotione. D. Lebleu *in Dissert. d. Ministr. Stat. thes.* 42.

POSITIO VII.

Adulationes nimiæ Principi quàm maximè nocent.

Adulatio, blanditiæ pessimum veri affectus venenum. Tacit. *lib.* 17. Regum opes sæpius, quàm Hostis evertit, Curt. *lib.* 8. *c.* 5. Et Adulatores insita aulæ pestis sunt. Forstner. *in not. polit. ad Corn. Tacitum*, add. Freinshem. *ibid.* JULIANI Imperatoris dictum est: Nullos esse capitaliores hostes, quàm larvatos aulicos, scorpiones, ore blandiuntur, sed cauda pungunt, sic Adulatores loqvuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Uno ore flare & sorbere volunt; in una manu ferunt lapidem, in altera panem ostentant: in ore mel, in cauda aculeum, ut apes gestant. Ut umbra, quicquid agis, respondet & adest, sic isti; quocunque te verteris, circumagunt se & sui semper dissimiles, pro re nata se adaptant. D. Stegman *in Chrysologno s. Meletem.* 8. Quemadmodum verò, dicente Senec. *Epist.* 123. qui audierunt Symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: Sic adulatorum & prava laudantium sermo diutius hæret, quàm auditus, nec facilè est, animo dulcem sonum excutere: prosequitur & durat, & ex intervallo recurrit. Eberhardus à Weihe *in Aulico politico* §. 308. intrepidè affirmat, Adulationem in Aulis semper esse fœdissimam, imò periculosissimam. Juvat, juvat, carere lacte quo nutriaris, & vellere quo tegaris: modò non timeas bibere in felicitatis ambrosia adulationis venenum, quod à fortunæ vino separari non potest, primus aureorum poculorum liquor. Joh. Paul. Oliva Alexandr. VII. Pontific. in Palatio Apostol. Concionator *concion.* 4. §. 54. *pag. mih.* 70. C. CÆSAREM nihil aliud perdidit, quàm Adulatio. Vitellius enim miri in adulando ingenii primus C. Cæsarem adorari, ut Deum, instituit: Cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato, seque circumvertens, deinde procumbens. Claudium uxoribus libertisque addictum, ne quâ non arte demereretur,

pro

pro maximo munere à Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalciandos, detractumq; socculum dextrum inter togam tunicasque gestavit assiduè nonnunquam osculabundos, Sveton. *in hist. Vitellii.* vid. commentat. nostram *de Osculo Sancto cap. 4. n. 15* CALIGULA ex bono Principe, qualis erat ab initio, per Adulatores factus est monstrum, tantumque adulationibus intumuit, ut *Deum Latialem* se haberi, & suas in templis imagines apponi voluerit. Sicut enim qui fascino utuntur, laudando necant arbores, sata, pueros, ita Adulator laudando perdit. Petr. Gregor. Tholosan *lib. 8. d. Republ. cap. 7.* Dieteric. *in C. Caligula. thes. 2.* NERONEM castissimè educatum crudelem fecit adulatio. Francisc. Patricius *in Aulic. politic. pag. 82.* DOMITIANO, (qui Epistolam dictavit sic exordientem: Dominus & Deus noster fieri jubet. Sveton. *in Domitian. c. 13.*) abblandiebatur Martialis *lib. 9. Epigram.*

Ad cœnam si me diversa vocaret ad astra,
  Hinc invitator CÆSARIS, inde JOVIS.
Astra licet propius, palatia longius essent,
  Responsa ad Superos hæc referenda darem:
Quærite, qui malit fieri Conviva Tonantis,
  Me meus in terris Jupiter ipse tenet.

Et si unquam verba adulatoria leguntur, sunt quæ Simon Begnius, Episcopus Modruviensis Pontifice Julio II. vita functo ad LEONEM X. in Concilio Lateranensi sess. VI. protulit, quæ ita sonant: Sed ne fleveris Filia Sion, quia ecce (NB) venit Leo de tribu Juda, radix David. Ecce suscitavit tibi Deus Salvatorem, qui salvabit Te de manibus vastantium, & populum Dei de manibus persequentium liberabit. Te, LEO BEATISSIME, Salvatorem expectavimus, Te Liberatorem venturum speravimus. Ad Te pro acceptis cladibus, pro perperam gestis gementes, pro malorum fine & futuræ spe victoriæ læti & hilares clamamus: Impugna Impugnantes nos.

firma immobiliaque permaneant, quasi Deus ipse per te judicet. Animadvertit Cl. Dn. M. Christian. Weisius in Illustri Augusteo prof. publ. *dissert. de Moralitate Complimentorum* adulationes, & tantum non scandala ab Historico Gallico *in Grammando lib.* 1. *p.* 9. in vulgus spargi, ibi: Unus illi à Venere nævus, eo Regibus noxa leviore, quod populus rarò opprimitur ea labe; vix sævire potest, qui amat. Anonymus Scriptor, pergit Dn. Weisius, qui nuper patriæ suæ statum exiguo, & si pauca abessent, accurato scripto edidit, de Regis amoribus ita judicat. Les vices des Princes sont des vertus imperfajtes, & l'amour est presque un crime innocente. h. e. Vitia principum sunt imperfectæ Virtutes, & amor prope est crimen innocens. Extantiora Adulatorum indicia lege in Althus. *polit. cap.* 23. *num.* 59. *& seqq.* add. Heider. 2. *polit. pag.* 303. *polit* 4. *p.* 519. Scipio Ammirat. *lib.* 2. *d. Regn. & Reg. instit.* TIBERII Generositas in spernendis adulationibus laudatur: Oderat enim adulationem, ac adeo aversabatur, ut neminem Senatorum, imò ne equitem quidem ex Illustrioribus, aut officii, aut negotii causâ ad lecticam, si quando eâ gestaretur, admitteret, aut comitari se sineret: Consularem verò satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem ita suffugerit, ut caderet supinus. Tacit. 2. *Annal.* 87. 3. Sveton. 27. Dio 57. *p.* 609. reprehendit etiam Adulatores; exemplo est Junius Gallio, qui meditatæ adulationis hoc pretium tulit, ut ab eo violenter increpitus, statimque Curiâ, deinde Italiâ exactus, & quia incusabatur facilè exilium toleraturus, retractus sit in urbem custoditusque domibus Magistratuum. Tacit. 6. *Annal.* 3. 4. Quamvis ergò Magnates titulis honorificis *Potentissimorum, Invictissimorũ, Serenissimorum, &c.* ornari soleant, cautio tamen est, ne illis abutantur, sed homines se esse cogitent. Appositè ALEXANDRO M. se Jovis filium in literis jactanti respondit Mater: Amabo

te, mi fili, quiescas nec deferas me, neque criminere adversus Junonem; magnum mihi illa malum dabit, cum tu me literis tuis pellicem esse illi confitearis. Knichen. *de Saxon. non provoc. jure cap.* 2. *n.* 37. & lepidum est, quod PHILIPPUS III. adhuc puer, cùm venatum exiisset cum Parente Philippo II. & repente subortam pluviam vidisset, comiter rogavit Parentem, ut imperaret nubibus, ne plueret; & Rex respondisset: hoc Superioris potestatis esse; Ille his intellectis, cum de titulis Patris, inprimis potentissimi audisset, quid, inquit, mi pater, tam parvam rem præstare non potes? jam planè nihil posse comperio, ex Engelgref. *in Luc. Evangel. Domin.* 4 *post Pentecosten pag. mihi* 256. refert Dn. Kloz. *dissertat. inaugural d. Titulis Honorificis Cap.* 12. *Gust. habit.*

POSITIO VIII.

Æmulatio in Aula tolli nequit, imò sæpius proficua; invigilandum tamen est, ne inter aulicos perpetua sint dissidia.

Æmulatio incendit animum & industriam excitat. Saavedra *Symbol. polit.* 3. Ista scilicet gloriosa est, & meretur laudem, quæ non virtuti, aut alienæ invidet excellentiæ, sed ea destitui se dolet, & egregiis experimentis, quâ fortitudinis, quà ingenii ad eam adspirare contendit. Idem *Symbol.* 9. vid. D. Gejer *ad Daniel. cap.* 1. *vers.* 10. Est quidam inter homines dissonantia; & societas nostra, teste Seneca *Epist.* 95. lapidum formationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso continetur. LYCURGUS in Rempublicam suam quasi fomitem Virtutis immisit studium contendendi, prout testatur Plutarch. *in Vita Agesilai.* De CATONE refert idem *in ejus vita*, solitum eum contentiunculas aliquas inter Servos callidè serere, suspectam scilicet habens nimiam concordiam eorum metuensque. Hinc enatum esse videtur; *Divide & Impera.*

pera. Venetorum Dux ERIZZO ex provincia Fori Julii rediens atque Reipublicæ rationem reddens, se Nobiles hujus provinciæ à se invicem quàm maximè consiliis & animo alienos reddidisse gloriatus est, & multarum factionum inter causam extitisse. Vos, Patres conscripti, dicebat, si in pace vivere, si florentem Forum Julii & tranquillas res habentem videre vultis, has simultates fovere non pigebit. Joh. Hieronym. Imhofi *singul. politic. Ration. Stat.* 4. Æmulationes tamen istæ sint *modicæ* & honestæ: Ubi verò animi elatiores inflatioresque evadunt, & ambitiosæ æmulationes & de primo honoris gradu contentiones, alii innumeri affectus tumultibus & seditionibus gignendis aptissimi suboriuntur. Agath. *lib.* 1. *p.* 8. Rupert. ad Florum *lib.* 3. *c.* 12. Simulatæ amicitiæ, Occulta sunt Odia. Carol. Scribani *in Medic. Religioso lib.* 3. *cap.* 31. Uti ex festuca incensa vel ignis scintilla neglecta sæpe tota Urbs conflagrat: Sic ex domesticis odiis neglectis publica pernicies sequitur. Althus. *c.* 27. In Republica Romana, notante Livio *lib.* 2. *Histor.* Discordia duas ex una Civitate fecit. Ex factionibus ejusmodi magnum ad Principem damnum redundat; Namque Æmulatio, uti ait Grammondus *Histor. Gall. lib.* 8 quemadmodum in bello inter Duces, ita in Aula inter Primores noxia, inter gregarios perutilis est. In Gallia FORCÆUS & BOISSA PARDALIANUS inter se dissentientes & æmulantes arcana Consiliorum vulgarunt. Solet tamen æmulatio tertio cuidam fortunæ locum facere; exemplo Pontificum Romanorum, cum in eorundem electionibus Cardinales dissentiunt, in alterius electionem concurritur, qui cæteris minimè comparandus est. Forstner *in not. polit. ad Cornel. Tacit. libr. Annal. cap.* 46. Seponantur tamen in tractandis Principum negotiis simultates; Quemadmodū ARISTIDES cum THEMISTOCLE capitaliter dissidens odio, ubi ambo mitterentur unà Legati, ante portum dixisse fertur: Vis Themisto-

stocles,tantisper hic seponamus privatas nostras simultates, repetituri eas postea,ubi egressi iterum fuerimus. Tacit. *lib. 1. Annal.* Saavedra *Symb.9.* & huc refer commodè dictum à non nemine: *Privata Consilia,Privata Commoda,Privata Odia esse Publica mala.*

POSITIO IX.

Princeps Aulicorum Consiliariorum Veteranorum Consilia præferat Iuniorum Svasionibus.

Cicero citat ex veteri Poëta interrogantem: Quinam everterint Rempublicam? qui doctè subjicit: Oratores Novi; Stulti Adolescentuli. Et venustissimè Xenophon: Sicut Novitii Cytharœdi multas Cytharas corrumpunt: Ita juvenes gubernatores evertunt Rempublicam. Iuvenes sunt feroculi, ob casuum humanorum imperitiam; ac subitò incalescunt, & non nisi accepto damnô sapiunt, edocti Experientia stultorum Magistrà. Adolescentum Cupiditates ob copiam & calorem sanguinis celeres,feroces,ardentes atque rabidæ sunt; Senibus, quia principium concupiscentiæ circa jecur restrictum est, ad debilitatum,magis viget ratio,elangvescente unà cum corpore affectuum capace parte. Fortitudine, inquit Bion, cum sumus juvenes, utimur; at cum senescere incipimus, prudentiâ valemus,senectutis beneficio multis experimentis instructi. Laërt. *in Bion. Legè Pompeja* apud Romanos cautum est, ne quis ad Senatus consilium accederet, qui minor annis 30 foret. Libenthal *Colleg. polit. exerc.* 11. *quæst.* 2. Contra Senes in multis versati, versuti sunt, & tertio quodammodo oculo instructi, Marsalaer *d. Legat. lib.* 1. *dissert.* 11. Neque contemnenda sunt,quæ scribit Barclajus *in Icon. anim. c.* 1. ita; Senes certè res publicas atque privatas feliciſſimè regunt: despiciunt malos impetus, ac vincunt,

cunt, qui animos nostros inconsultè deci, iunt: & consulunt juventuti & parcunt: quid ipsi fuerint, quid tunc senserint, nondum immemores.

—— Ubi robustis adolevit viribus ætas
Consilium quoque majus, & auctior est animi vis.
Roma vetus, veteres dum Te rexere Quirites
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
Defunctis patribus successit prava juventus,
Quorum consiliis præcipitata ruis.

Consilia Senum, dicto Pindari, hastæ juvenum sunt. LUDOVICUS XI. Galliarum Rex Consiliariorum Senum à patre sibi relictorum consilia susque deque habens, cùm Iuvenum svasiones audivisset, Ejus imperium vergit ad interitum, vide Cominæum *in Comment.* E commodo itaque Reipublicæ maximè est, ait Wurmserus *Exercit. jur. publ. 4. quæst. 2.* Si Princeps cum Senioribus aliquos probos juvenes in consilium admittat, qui ex Seniorum factis dictisque inposterum similia discere & consulere discant; Namque dicto Iustiniani *Novell.* 5. Seniorum conversatio est admonitio perfecta, & Zelus ad virtutem cum juvenibus crescere, si cum Senioribus constituantur. Ast dum discunt novi & juvenes Senatores, Respublica detrimentum capit immedicabile, Leblen *d. Instruct. futur. Consil. disputat. 2. thes. 4.*

POSITIO X.

Fortunæ Aulicæ nunquam fidendum est.

Instabilis profectò & versatilis res est Felicitas, Dionys. Halicarnass. *lib. 4. pag.* 226. prout ille Captivus Plautinus *apud Plaut. Captiv. Act. 1. Sc. 2. v. 3. & Act. 2. sc. 2. v. 4. & v. 54.* conqueritur:

—— Fortuna, humana fingit, artatque ut lubet,

Me, qui liber fueram, servum fecit, è summo infimum.
Qui imperare insveverā, nūc alterius imperio obsequor.

Prodigii instar habetur perpetua Principis Amicitia. Cyriac. Lentul. *in Aul. Tiber. p.* 209. Atque ita est: solet fortuna, cùm ad summum venit, rotam volvere, & summa cum imis commutans nunquam diu stare consvevit, uti dixit Alexander Parmæ Dux, Janson. *lib.* 5. Unde Seneca:

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem:
Nemo confidat nimium secundis.
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis prohibetque Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam Divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

add. Curt. *lib.* 4. *c.* 5, Inprimis Aulici adsimiles sunt abacorum calculis, qui ut secundum voluntatem Calculatoris modò obulum aureum, modò talentum valent: Ita Aulici ad nutum Principis modò beati, modò miseri fiunt. Polyb. *lib.* 5. Magnatumque favorem captantes similes sunt navigaturis in Indiam, Oliva *Concion.* 16. §. 244. *pag. m.* 353. Quem fortuna visa est in sublimem gradum evexisse, ut quò altior ejus fuisset fortuna, gravior quoque casus & ruina foret, Fulgosus *lib. 6. c.* 11. *p.* 240. D. Daniel Clasenius *in commentar. ad Tab. Cebetis* ad verba: *in magnos durosque casus incidet*, Eo planè modo quo ædificantur Palatia, ad quæ introitus patet per unam portam, sed ad exitum, in quo sint multa occulta ostia, & ad casum fenestræ quàm plurimæ: ita qui serviunt, admittuntur ad Dominos, arcto ingressu per seriem stipatorum, innumeris postea ostiis ad exitum & ad expulsio-

ſionem, vel cum ignominia moleſtiore vulneribus, vel cum luxatione membrorum, quæ magis excruciet quàm mors ipſa. Oliva *Conc.* 16. §. 248. *pag. mih.* 361. Quóque quis, effato Barclaji *part.* 2. *Satyr. ibi Amemon.* in altiorem conſcendit locum, eò apertior tempeſtatibus fortunæ, nullas rerum viciſſitudines aut inconſtantiam Principum intacto remigio evaſit.

tolluntur in altum
Ut lapſu graviore ruant. Claudian.

Et quemadmodum Segetem nimia ſternit ubertas: Sic rami onere franguntur: Sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas; Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit: qua non tantum in aliorum injuriam, ſed etiam in ſuam utantur. Senec. *epiſt.* 39. Lutherus *ad cap.* 17. *Geneſ.* ait: In proverbio germanico Principum gratia comparatur tempeſtati Aprilis, quæ & non expurgatur, & inconſtantisſima eſt. Et multorum exempla ad omnem poſteritatem memorabilia ſunt, qui à Regibus & Principibus unicè adamati, in crucem tandem acti ſunt, aut aliis ſuppliciis affecti. SEJANI caſus humanam imbecillitatem egregiè ob oculos ponit, monetque nusquam inflatè ſe gerere. Dio *lib.* 58. *p.* 720. de quo Juvenalis *Satyr.* 10. *verſ.* 103.

—— —— ignoraſſe fateris
SEJANUM, nam qui nimios optabat honores
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immune ruinæ.

Exemplo ANCRÆI & GALIGAYÆ Conjugum videant Aulici, rerum humanarum vices ut ſint inſtabiles, uti lubricum eſt, quodcunque fortuna molitur; de quorum fortuna in Aula Regis Henrici IV. Galliarum Regis ad ſummum perducta, præcipiti verò caſu finita, lege Hiſtor Gallic. *ab*

excessu Henrici IV. lib. 2. autore Grammondo. In Aulis optime meriti de Principe pessimam gratiam sæpius referunt;

Sic olim Macedo præstrictis faucibus, AMMON
  Mennonias periit pendulus ante fores.
Sic TALLO fuit Augusti mutatus in iram.
  Cruribus effractis pernitiosus amor.
Sic unco SEJANE tibi raptate per urbem
  Attulit à Capreis littera missa necem.
Sic BURRHUS sævo carissimus ante Neroni.
  Invisus tandem toxica dira bibit.
Sic BELLISARIO sunt eruta lumina: summus
  Hoc illis locus, hoc mobilis Aula dedit.

Notabile quoque exemplum est in JOANNE JACOBO TRIVULTIO, Præfecto & Duce Militum forti, magnanimo. & felici, de quo post Camerarium *in horis succisivis Cent. 3. cap.* 17. ex Italico Laurentii Capelloni libro refert Matthias Berneggerus *Observat. Miscell.* 10. verbis: Is, *Trivultius*, cùm Ca- „ rolo VIII. & Ludovico XII. Regibus Galliæ in bellis sæpe- „ numero utilem operam navasset, & ab eorum successore „ Francisco I. compensationem aliquam in extrema senectu- „ te sua expectaret, & delationibus & calumniis inimicorum „ in tam atrox odium Regis incurrit, ut eum neque in suum „ conspectum admittere, nec excusationes ipsius audire vo- „ luerit. Hanc indignationem & ingratitudinem Regis cum „ Trivultius, veteranus ille Miles, & Præfectus de Regno „ Galliæ tam præclarè meritus, ægerrimè ferret, nihilque „ magis cuperet, quàm ut Regem alloqui, & de calumniis se „ purgare posset, ob senectutem autem amplius incedere ne- „ quiret, jussit se sella portari in locum cubiculo Regis pro- „ pinqvum, quem Rex auditâ Missâ transire solebat. Rex „ licet illum bene meritum Senem, eminentem in sella con- „ spiceret, quasi illo non conspecto vel contemto, indigna-

„ bundi instar præteriit, quamvis Trivultius alta voce ex-
„ clamaret, Sire, Sire. & desiderium suum alloquendi Regem
„ vehementiore gestu exprimeret. Repulsam adeo contume-
„ liosam a Rege passus, ex ægritudine periculosè decumbere
„ cœpit. Quòd cum Regi indicatum esset, misit nonnullos
„ suos Aulicos familiares, ut eum nomine suo visitarent & con-
„ solarentur: quibus conspectis & auditis, sapiens ille Senex
„ nihil aliud respondit, nisi, serò nimis eos venire; & paulo
„ post è vita discessit, verum expertus id, quod vulgato versu
„ dicitur:

Κύρε, qui, senuere, canunt, ἐλέησον, in aulo.

Est igitur Felicitas (aulica) nihil aliud, quàm Scorpius, qui ultimâ sui parte incautos opprimit. Rupert. *ad Vellej. Patert. lib.* 1. c. 6. §. 2. Exempla plura desiderans, legat Lebleu *d. Instruction. futur. Consiliarii differtat.* 3. *cap.* 16. Qui sapit, mediocri sorte contentus vivit, nec omnium primus, sed medius esse desiderat. Sapienter Claudianus:

In brevibus nunquam sese probat Æolus undis,
Nec capit angustus Boreæ certamina collis,
Alpes ille quatit, Rhodopæaque culmina quassat.
Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis,
Nec parvi frutices iram metuere Tonantis.

Scilicet ex mediocritate fortunæ pauciora sunt pericula. Tacit. Rarissima sunt diuturnioris felicitatis aulicæ exempla; DANIELIS dignitas hereditaria quodammodo fuit, ut qui sub *Nebucadnezare*, sub *Dario*, sub *Cyro* floruit, licet quædam ecclipsis sub *Belsazare* fuerit deprehensa. D. Geier *in Daniel. Cap.* 7. *vers.* 1. Adamus Conzen in Daniele seu de Statu aulicorum, ait; Se unicum JOSEPHUM in Historiis Biblicis invenire, qui Dei, Regis, Principum, & Populi gratiam, benevolentiam & amores ad mortem suam usque constanter servaverit

atqe acceperit, quod beneficium Deus in fraternæ aliarumque persecutionum solatium ipsi dederit. Reinking in der Biblischen Policey *lib. 2. axiom.* 95. De LAMPERTI DISTELMEIERI Electoris Brandeburgensis Cancellarii fortuna stabiliori ita ad Senatum Elect. Brandenburgensis Hildeshemius: Erat, quod in Aulico admiramur, perpetuò felix, ut citra adulationem tumulo ejus inscribi possit: FELICI AULICO: Hujus enim virtuti semper subscripsit fortuna, sic volente rerum humanarum curatore Deo, cui jus in nos antiquissimum est & maximum. Quæ sanè felicitas, cùm in cæteris vitæ generibus gradibusque admodum rara est, tum vel maximè in homine aulico. Nulla enim tam firma Aulicis lex sit, quàm quod nihil in aulis firmum diu permaneat. Ita autem ille in cursu fortunæ æquabili perpetuùm servatus est, ut ne ulla quidem insignis alicujus calamitatis macula gloriam ipsius contaminaverit.

CAPUT XII. ET ULTIMUM.

DE

AUTORITATE SEU EXISTIMATIONE PRINCIPIS.

POSITIO I.

Optimum Præsidium Regnantis est Autoritas seu Existimatio.

Autoritas rerum gerendarum telum est, & Principes magnas res gerunt, non tam opibus & sapientia, quàm Autoritate & Majestate. Ludovic. Viv. *Satell.* 60. magisque Imperanti præstat Autoritas, quàm splendor Soli; qui nisi coruscaret, ab hominibus suspiceretur nullatenus, D. Lebleu *d. Ministr. Stat. thes.* 30. ut proinde unicam unciam Nominis & Existimationis Principis plus, quàm arma valere asseruerit

rit Scipio Ammiratus *lib.* 5. *disc.* 8. Et universam gubernandi molem seu Rationem Status tribus fundamentis *Consilio*, *Viribus* & *Existimationi* superstruxerit. Sebast. Cæsar de MenesesLusitanus,prout eum allegat Cl.Dn. Weisius *de Moralitat. Complimentor.* §.9.Quemadmodum enimColumna seipsum sustentat suo librata pondere; si in alterutram inclinet partem, mox corruit, idque tanto celerius, quo graviore fuerit pondere. Haud aliter suamet autoritate & existimatione firma subsistunt & conservantur Imperia. Saavedra *Symbol.polit.* 31. Est autem Autoritas reverentiam apud subjectos reperiens, donum cælestis sapientiæ,Psalm. 84. *vers.* 12. Psalm. 91. *vers.* 15. D. Geier *in Daniel. Cap.* 5. *vers.* 19. neque omnibus Gubernatoribus contingit. Strigel. 1. *Samuel.* 18. & 1. *paral.* 12. nasciturque non ex amore,sed admiratione.Saavedra *Symb.* 42. Inest autem Principi Sanctitas. Sic Diotogenês Pythagoras *lib. d.* regno: Ut se Deus habet ad mundum, ita Rex ad Civitatem: Et uti se habet Civitas ad Universum, ita se habet Rex ad Deum. Rex Chrysostomo Deus patrialis audit. Injusti ergò haut sunt Principes, si titulos suos tenacius obsérvent. Cùm Magnates terminos dignitatis antiquos ipsis moveri ægre ferant, Arumæus *ad. Aur. Bull. Dissert.* 1. *thes.* 7. & multum intersit, asserente Grammando *hist. Gall. pag.* 30. Principem inter & Privatum. *Ille* ad famam omnia dirigit; *Hic* continetur modicis: quod Vitium Huic, sæpè Illi Virtus: quod homini privato Superbia,PrincipiMagnaminitas est. Quorsum etiam tendit illud Tacit. 4. *Annal.* Cæteris Mortalium in eo stant Consilia,quid sibi conducere arbitrentur: Principum diversa sors est, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.

Fax mentis, honestæ
Gloria.

Ab initio autem famæ studendum est; uti enim initia pro veni-

veniunt, sic fama in cætera durat, Tacit. annal. 13. Sin autem sub Regiminis initium bonam existimationem perdiderit, ægrè eam postea recuperabit: quod enim semel de eo conceperit populus, semper deinde hærebit animo: in hanc curam incumbat unicè, ut gloriam sibi inde pariat, etiamsi Capitis discrimen adeundum sit. Qui cupidè nimis amat vitam, labores fugit ac pericula, sine quibus duobus Fama obtineri non potest. Saavedr. *Symb.* 15 Fama verò contemta contemnuntur Principis virtutes. Tacit. 4. *Annal.* & quando populus odit Principem aut contemnit, augurium potest esse certissimum de infelici successu Reipubl. Thosos. *lib.* 22. *d. Republ. c.* 8. §. 1. CYRUS minutis etiam rebus autoritatem sibi quærebat, teste Xenophonte. ALEXANDER M. minoris staturæ Princeps, cujus fama maximas gentes terrebat. Sic *Præfectos Darii* non tam armis, quàm terrore nominis sui vicit; quod est pulcerrimum victoriæ genus. Livius *lib.* 5. *c.* 16. Q. Curt. *lib.* 2. *d. gest. Alex. M.* apud Eundem *lib.* 8. Utinam, inquit, *Indi* quoque me Deum esse credant, famâ enim bella constant, & sæpe quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit. SALOMON degener etiam factus regnum obtinuit, quod semel Sapientiæ atque virtutis opinionem sibi parasset, adeoque hoc esset consecutus, ut fama publica voculas privatorum obtunderet. Scheurl *in dissert. d. Potentia Reipubl. thes.* 10. GERMANI olim ipsâ plerumque famâ bella profligarunt. JULIUS CÆSAR majoribus virtutibus excellebat quàm POMPEJUS, sed longè magis valebat Pompejus studio hominum quàm Cæsar; Colebatur ab omnibus favore & applausu populi; pene erat in odio Cæsar. Richter. *axiom. pol.* 7. CRISTIANUS IV. Daniæ Rex, Semisecularis Monarcha singulari apud Subditos polluit autoritate. D. Schuppius *in Salomone*. De PHILIPPI III. Hispaniar. Regis in suos Authoritate Emmanuel Thesaurus *in funebr. apparat. p. m.* 7.

Rex

Rex velit; Hispanâ liquidus trabe vapulat Atlas;
Rex velit; Arctra sub nive candet Eques.
Frustra, Nile Pater, caput inscrutabile condis:
Rex velit; educes, abdite Nile, caput.

POSITIO II.

Pietas Principem præcipuè ornat.

Nulla vis major pietate est. Senec. *in Thyeste.* Nec quicquam clariori lumine præfulget in Principe; Unde Religiosissimi audiunt, ut Valentinianus ab Ambrosio *l.* 8. *C. d. Summ. Trinit.* Abominabilis contra est sententia illa Atrei *in Thyeste Seneca act.* 5. *vers.* 216.

Sanctitas, Pietas, Fides
Privata bona sunt; quâ juvat, Reges eant.

Princeps Clericorum curam si habeat, magnum exinde fit autoritatis adjumentum, & Sacra Scriptura propterea vocat Eos Nutricios & Patronos Ecclesiæ, Esaiæ 49. *vers.* 23. FABIANUS & SIXTUS Pontifices ad universos Clericos scribere non dubitârunt: Quisquis Vestrûm pulsatus fuerit, licenter hanc sedem Sanctam Apostolicam appellet, & ad eam, quasi ad caput, refugium habeat. SEVERINUS Papa ad primam sedem, quasi ad Matrem appellare Clericos jubet, quæ non potest oblivisci Filii sui. Im Hoff. *de Rat. Stat. Cap.* 27. HENRICUS Auceps Religionis ante omnia rationem habuit, ad quam puer à Præceptoribus suis saluberrimè institutus fuerat, à quibus doctus erat, nulli Principum Dei religionisque irrisorum aut contemptorum non imminere certum interitum ac malum. Mutius *lib.* 12. *pag.* 93. & 97. Dietericus *in Henric. thes.* 3. Olim Imperatores, ut negotiis suis autoritas & sanctitas inesset, Sacerdotes & Episcopos

in consilium vocarunt, ut florentissimorum Ottonum palatia non tam Civilium hominum Aulæ, quàm Gymnasia Sacerdotum & Præsulum fuerint. Dieteric. *in Otton. III. thes.* 3. HENRICUS II. Cleri amator, Episcopatus diversos, *Magdeburgensem, Merseburgensem, Hildesiensem, Argentinensem, Basiliensem* ditavit. Dieteric. *in Henric. II.* Huc pertinet erectio scholarum & Academiarum. vid. D. Bechmann *d. Privileg. Studiosor.* & Dn. M. Schvvimmerum tract. *de Academiis.*

POSITIO III.

Magnam Principi conciliat authoritatem si leges à se positas ipsemet servet.

Princeps Optimus Cives suos faciendo docet; cumque Imperio Maximus sit, exemplo major esse debet. Vellej. Patercul. *lib.* 2. Pulchrè Güntherus Ligurinus *d. reb. gest. Friderici I. Imperatoris lib.* 8.

Nihil, ut verum fatear, magis esse decorum
Aut regale puto, quàm legis jure solutum,
Sponte tamen legi sese supponere Regem.

Turpe enim est, qui aliis mandata dat, huic passioni succumbere. Saavedra *Symb.* 8. Aureum carmen vocat Zasius *ad l.* 2. *d. orig. Jur.* quod habet Claudianus ad Honorium:

Nec Tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti,
Tu Civem patremque geris, tu Consule cunctis,
Nec Tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.

Digna vox est Majestate Imperantis, legibus alligatum se profiteri *l.* 4. *C. d. legib.* Suavis populo videtur lex illa, cui legislator ipse obedit. Saavedr. *symb.* 21. aliàs facilè leges contemnit ac despicit populus, si vident non observari ab eo, qui earundem est anima, Idem *Symb.* 13. TRAJANUS extolli-

tus [illegible]: Ingens [illegible] tua gloria Cæsar: Ipse Te legibus subjecisti, quas nemo Principi scripsit: Sed Tu tibi nihil amplius vis licere, quàm nobis. Sic fit, ut nos plus tibi velimus. Non est Princeps supra leges, sed contra, leges supra Principem. Principis potestas, justitia ponderibus semper erigenda est; ut felicitatis est, posse quantum velis, sic Magnitudinis, velle, quantum jure possis.

POSITIO IV.

Fides seu Dictorum Conventorumque constantia Principi Existimationem parit.

Non semper inspiciendum est, quid Utile, sed quid Honestum sit. Tyrannorum lex est: EXPEDIT. Quam Bœclerus in notis ad Herodian. *lib.* 2. *c.* 14. regulam κσ κοσπραγμοσύνης appellat. add. D. Conring. *in animadversion. ad Machiavell. Princip. c.* 18. Tanto splendore in Principe fulget fides, ut sine ea omnes Regum & Principum Virtutes obscuriores fiant; ab Ea singulæ sic lumen accipiunt, ut à Sole Luna, Sidera ac Stellæ omnes, Franc. Patrit. *lib. de regno & Reg. instit.* 8. *tit.* 20. illud est, quod Iohannes Episcopus Urbis Romæ ad Imperator. Justinianum in *l.* 8. *C. d. SS. Trinitate* scribit: Nihil esse, quod lumine clariore præfulgeat, quàm *recta fides* in Principe. OTTO, teste Dietmaro *c.* 4. erat facie clarus, ac *fide præcipuus*; Ubi Dieteric. *in Otton. lib.* 1. ait: Fides & sapientia pulchram efficit pulchritudinem, omnique amore digna est ejusmodi pulchritudo, quia bona, quia optima. Etsi homines admirentur communiter quidem omnia, judicio Ciceronis 2. *officior*, quæ magna & præter opinionem suam animadvertunt, maximè tamen eos suspiciunt, maximisque efferunt laudibus in quibus existimant se excellentes quasdam & singulares Virtutes perspicere. Neque inter-

est vi ac necessitate Principem ad fidem servandam, adigi, Ea tamen nihilominus servanda est. Forstner. *ad Tacit. p.* 218. ALPHONSUS Rex Arragonum dicere solebat: Tantum valere debet apud Principem verbum simplex, quantum privatorum hominum jusjurandum. Panormit. *d. dict. & fact. Alphons. apophtheg.* 58. SIGISMUNDUS Imperator Militi, id quod promissum erat, exigenti, respondit: se malle rerum, quàm famæ jacturam subire. Nunquam satis laudanda vox est CAROLI V. Imperat. Ob fidem servatam B. Luthero, utpote ab aliis pro hæretico habito, interrogati à Ludovico Palatino Rheni, quare id faceret, dicentis: Fidem rerum promissarum, etiamsi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem consistere oportere. Tholosan. de Republ. *lib.* 8. *c.* 8. *n.* 10. Guil. Zenocar. *in Vit. Carol. V.* PRINCIPES AUSTRIACOS fidei esse observantiores ipsi Galli profitentur. Hubert. Thom. Leodius *Annal. d. Frideric. II. Elector. Palatin. vit. & reb. gest. lib.* 4. *fol.* 63. ALBERTUS Dux Megapolitanus in testamento Filiis suis scriptum reliquit: Je höher der Fürsten Standt für andern Leuten / ie mehr auch billig auf ihr Wort zu bauen ist / dahero auch die Rechte wollen / daß eines Fürsten Zusage so viel gelte / alß einer geringen Standes-Person leiblich geleisteter Eydschwur und was ein Fürst iemand mit den Augen zuwincket / daß soll Er ihm so fest halten / alß wenn es ein ander verbrieffet und versiegelt hette. D. Reinking. *lib.* 2. der Biblischen Polic. *axiom.* 65. Scelestissima ergò Machiavelli sententia *cap.* 18. *d. Princip.*, & ad Garamantas & Indos releganda est, sic ille: Nunquam Principibus defuturæ sunt causæ, quibus violatæ jam fidei fucum inducant. In hanc rem fere infinita possent recentia proferri exempla, atque illis ostendi, quot Pacis fœdera, quot promissa ac conventa fuerint, irrita & vana reddita Principum perfidia. Qui verò vulpinum ingenium melius exprimeret, potuit ei felicius omnia ceciderunt; quod dogma à

Ly-

Lysandro Lacedæmoniorum Duce versutissimo emendicasse Machiavellum D. Conring. *animadverſ. Polit. in Machiavell. d. l.* autumat. Vituperatur MARGARITHÆ Danorum ac Norvvegorum Reginæ in non servata fide levitas; Illa enim Proceribus Regni literas fidei & diplomata urgentibus, jocosè quæsivit: Habetisne Vos literas nostras, optimè scriptas & obsignatas? Habemus, inquiunt; & Illa rursus respondit: Literas Vobis datas diligenter custodite; Nos castra, Civitates, & omnes Regnorum nostrornm partes diligentius observabimus. Joh. Magn. *lib.* 21. *Hiſtor. cap.* 20.

POSITIO V.

Prudentia Autoritatis conservandæ fulcrum est.

Possìde Sapientiam, inquit Salomon *proverb.* 16. quia auro melior est; ac prudentiam acquire, quia pretiosior est argento. Est autem Sapientia, dicto Græci Vatis, Providentiæ Filia. Macrobius *lib.* 1. *in Somn. Scipion. ex Plotino*: Quatuor sunt, inquit, quaternarum genera Virtutum. Ex his primæ *politicæ* vocantur, secundæ *purgatoriæ*, tertiæ *animi* jam *purgati*, quartæ *exemplares*. Et sunt politicæ hominis, quia sociale animal est. His boni Viri Reipublicæ consulunt, urbes tuentur. Nulla pervestigatio æquè necessaria Regibus, quàm prudentiæ & sapientiæ in commune commodum Regni, ut cùm ipsi evaserint sapientes, beata demum evadat Respublica. Dieteric. *in Otton. II. th.* 2. Summa autem prudentiæ pars est in Principe, æstimare, an imperaturus sit hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem, Tacit. *Agricol.* 19. 1. Huc aureum Plutarchi præceptum *in Præcep. d. Republ. gerenda* quadrat: Conferendum est, inquit, ad contemplandam Civium ingenium, quale ex tota multitudine maximè contemperatum apparet atque præcellit. Qui enim ipsi statim conantur fingere mores populi, ejusque

indolem mutare, rem ii tentant neque facilem, neque tutam, ad quam praeterea & temporis multum, & magna requiratur potentia. Sed quemadmodum vinum initio bibentis ingenio obsequitur, dum sensim calorem diffundens, ac Corporis temperiem occupans, bibentem jam mutet, moresque ejus fingit; Ita qui ad Rempubl. se consulit, is donec gloria fideque vim sibi ad ducendos populi animos sufficientem concilies, interim se eorum, quos subjectos habet, moribus accommodare eosque sibi ad sequendum praepositos habere debet, gnarus eorum, quibus ii gaudent, quibusque duci solent, adde *Cap. VIII. posit. 2.* Besold. *in Discurs. Philolog. d. natur. populi.* In TIBERIO prudentiam laudavit Augustus, ad Eum sic scribens: Ego verò, mi Tiberi, inter tot rerum difficultates non potuisse quenquam prudentius se gerere, quam Tu gesseris, existimo, Sveton. *c.* 21. THEMISTOCLIS prudentiam insigniter extollit Cornel. Nepos *in Themistocl.* ibi: Multum in judiciis privatis versabatur, saepè in concione populi prodibat, nulla res major sine eo gerebatur, celeriterque, quae opus erant, reperiebat, neque minus in rebus gerendis promtus, quàm excogitandis erat, quod & de instantibus, (ut ait Thucidides) verissimè judicabat, & de futuris callidissimè conjiciebat. Imprudentia verò, cum vel artem gubernationis non callet Princeps, vel bene monentibus non obtemperat, autoritatem perdit.

Iratus ad poenam Deus si quos trahit:
Aufferre mentem talibus primùm solet
Caliginemque offundit, ut suas ruant
Furenter in clades, sibi quas noxiis
Accersiverunt ultrò consiliis mali.

POSITIO VI.

Fortitudo, Temperantia, Liberalitas & Magnanimitas venerationem conciliant.

FOR-

FORTITUDO Virtus Principis propria est: Duo sunt, inquit Polybius, quibus Respublica rectè gubernatur, *Domi Concordia, foris Fortitudo.* Ignis aurum probat, miseria fortes Viros. Senec. *in Libell. Quare bonis Viris mala accid. cap.* 5. ALEXANDER M. Triballis, Taulantiis, Drancis, Evergetis, Parymis, Pergamenis, Daspiis innumerisque gentibus victis insigni autoritate & fortitudinis gloriâ claruit. Diodor. 16. 78 Justin. *lib.* 11. *c.* 10. *lib.* 12. *c.* 5. Curtius *lib.* 1. *c.* 10. De EPAMINONDA Cornel. Nepos *in ejus vita*: Erat modestus, prudens, peritus belli, fortis manu, animô maximô. JUGURTHAM à mixtura calliditatis & fortitudinis deprædicat Salustius *in histor. bell. jugurt. c.* 7. TEMPERANTIA totius honestatis & elegantiæ decus & ornamentum in se continens Majestatem conciliat. Hypolit. à Collib. *in princ. c.* 26. VIRIATI, primi Hispanorum Ducis Temperantiam laudat Justinus *lib.* 44. *cap.* 2. Ejus continentia ea fuit, ut cùm Consulares exercitus frequenter vicèrit, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutaverit; sed in eo habitu, quô primùm bellare cœpit, perseveravit. Intemperantia autoritatem planè destruit. Inprimis à libidine vagâ sedulò sibi caveat Princeps, Nam

Non benè conveniunt, nec in una sede morantur
Majestas & Amor.

Ovid. 3. *Metamorph.* TARQVINIUM superbum, quod Collatini uxori Lucretiæ illatum erat stuprum, de regio solio præcipitem dedit, Livius *lib.* 1. Qui enim vitam traducunt in corporis voluptatibus, contemptui obnoxii fiunt, multasque insidiantibus occasiones præbent. Arist. 5. *polit.* 10. & 11. TIBERIUS propter nimiam vini aviditatem BIBERIUS, NERO MERO vocabantur, Sveton. *c.* 42. De SARDANAPALO Assyriorum Rege ita JUSTINUS *lib* 1. *c* 3 Postremus apud Assyrios regnavit Sardanapalus, Vir Muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum

per-

permissum fuerat) Præfectus ipsius, Medis Præpositus, nomine Arbactus, cum admitti magnâ ambitione ægrè obtinuisset, invenit eum inter scortorum greges, purpuram colo nentem, & muliebri habitu cum mollitie corporis & oculorum lasciviâ omnes fœminas anteiret, pensa inter Virgines partientem. Quibus visis, indignatus, tali fœminæ tantum Virorum subjectum tractantique lanam, ferrum & arma portantes, parere, progressus ad socios, quid viderit, refert: Negat, se ei parere posse, quæ se fœminam malit esse, quàm Virum. Fit igitur conjuratio, bellum Sardanapalo infertur: quô ille auditô, non ut Vir regnum defensurus, sed, ut metu mortis mulieres solent, primò latebras circumspicit, mox deinde cum paucis & incompositis in bellum progreditur; Victus in regiam se recipit, & exstructâ incensâque pyrâ, & se, & divitias suas in incendium mittit, hoc solo imitatus Virum. add. Diodor. Sicul. *lib.* 2. Athenæ. *lib.* 12. Vellej. Patercul. *lib.* 1. *c.* 6. Et ejusmodi molles viri per contemtum genere muliebri solent nominari: Catullus Gallum *Gallam*; Curionem Filium *filiolam Curionis* Cicero appellat. LIBERALITAS in Principe potentissima dos est, prout in Trajani foro Romæ marmori inscriptum legitur:

Vivet extento PROCULEJUS ævo,
Notus in fratres animi paterni,
Illum aget pennâ metuente solvi
—— —— Fama superstes.

Horat. *Od.* 2. *lib.* 2. AUGUSTUS multos pecuniâ juvit, Dion. *lib.* 56. *p.* 685. TIBERIUS Imperator honestam innocentium paupertatem levavit, h. e. eorum qui fortunæ iniquitate ad egestatem redacti fuerant, Tacit. 2. *Annal.* 48. 3. Bosius *in Tiber.* §. 35. HENRICUS AUCEPS, Witichindo teste, talis erat, qui nihil negaret amicis, imò eâ fuit circumspectione Rex (verba sunt Cranzii 3. *Sax.* 11. *pag.* 70.) ut in omni gente sua rarus aut nullus esset, qui de re magna se non

gau-

gauderet ab illo muneratum. Nemo fuit clarorum in gente Virorum, quem non præclaro munere aut officio pro cujusque virtute donaret. OTTO MAGNUS in ipsius coronatione unumquemque Principem juxta munificentiam Regalem congruenti munere honorans, omnes omni hilaritate dimisit. Dieteric. *in Otton. M. lib.* 2. BOLESLAUS Polonus largitionibus Pragam totumque Bojehæmum in potestatem redegit. Dieteric. *in Henric. II.* §. 4. LEO X. Pontifex nulla in re ardentius & effusius, quàm ad liberalitatis gloriam anhelavit, eos principe loco indignos existimans, qui nequaquam benefica manu fortunæ muneribus uterentur. Jovius *in Leone X. lib.* 4. Sit tamen in largitionibus modus; vid. *Caput VI. de Oeconomia Princip. Posit. II.* MAGNANIMITAS Virtus Regia adversa despicit.

—— —— Ut altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit
Perpetuum nullà violatus nube serenum,
Celsior exurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos & rauca tonitrua calcat:
Sic patiens animus per tanta negotia liber
Emergit, similisque sui, justique tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia suadet,
Servat inoffensam divina modestia vocem
Nullaque mutati tempestas proditur oris.

Claudian. *pan. in cons.* Est enim magni animi proprium, placidum esse Tranquillumque; Et injurias atque offensiones semper despicere. Muliebre est, furere in ira. Ferarum verò, nec generosarum quidem præmordere & urgere projectos. Non decet Regem sæva nec inexorabilis ira. Senec. 1. *d. Clement.* 5. ALEXANDER M graviſſimè dixit: Se non adversus calamitates, sed adversus hostium vires contendere. Curt. *lib.* 4. *c.* 11. 17. FRIDERICUS III. Imper. affectus

aliquando injuriâ in hæc verba prorupit: Altæ turres à fulgure tanguntur, benè nobiſcum agitur, ſi verbis tantùm impetimur. Lebleu *d. Miniſtr. Stat.* §. 60. JOHANNES FRIDERICUS Elector Saxoniæ audito mortis decreto, nihil vultu motus, imò additis verbis quibusdam heroicis Ducem Brunſuicenſem Erneſtum exhortatus eſt, ut pergeret ſecum ſcacchis ludere, referente Amirato *diſſ. Polit. lib.* 12. *c.* 2. Magnanimitas tamen læſa in furorem abit. Quapropter FRIDERICUM I. Imperat. Günther. *l.* 2. comparat Leoni:

Ut Leo, qui dudum placido manſueverat uſu,
Si quis cum jaculis vel nudo cominus enſe
Prædicus irritet generoſi pectoris iram
Diſſimulat, reprimitque diu, ſpernitque minori
Tingere cæde genas & vili ſangvine paſci
Ac ſi perſtiterit damnatus & improbus hoſtis,
Addideritque minas, tunc ſe ſtimulante flagello
Incidat ac miſero violento pectoris ictu
Involat & laceros frangit crudeliter artus.
Sic ſuppreſſa diu generoſi principis ira
Exarſit rapuitque novum mens alta furorem.

POSITIO VII.

Princeps comis ſit & affabilis, ſed ne quid nimis.

Rara profectò Virtus, Humilitas Honorata. Henric. Engelgreſſe *Luc. Evangel. emblem. recondit. part. 3. part. 2. pag. mib. 62.* cùm tamen Comitate & alloquiis officia Subditorum Princeps provocet, Tacit. *Hiſtor.* 5. 1. 2. neque ſtipantia Satellitum agmina tueri principem poſſint, niſi illi ipſi, quos regas, animum imperanti, benevolentiamque accommodent. Herodian. 1. 4. Commune itaque aliquid cum cæteris præ ſe

ſer-

ferre debet Princeps, & discurrendo de variis studiis comem se præbere & affabilem; Neque regia dignitas est, quæ præcellit animos, sed gravitas nimia & imprudens, quemadmodum oculos non lux Solis offendit, sed nimia ejusdem siccitas, Saavedra *Symb. Polit. 6.* FLAVIUS LEO Imperator dicere solitus est: Perinde ut Sol, quibus affulserit, iis calorem suum impertiri soleat: ita ab Imperatore Clementiam eis tribuendam esse, quos adspexerit. Zonaras. NICEPHORUS GREGORA Indorum animis aurea impressit verba: Principem, si, quò naturâ sublimior sit, eò humaniorem se præbuerit inferioribus, carissimum populo futurum. D.Lebleu *dissert. d. morb. Imperior. præcip. thes.* 53. & Plinius *in Panegyr. ad Trajanum.* Superior factus descendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore submitteris, imò tunc maximè Imperator, cùm amicum ex Imperatore agis. ABSOLON benigno alloquio populi universi corda furatus est. *2. Sam. cap. 15. vers. 2.* FRIDERICUS III. Imperator ultro ad se cujusque ordinis homines evocabat, blandius cum infimis agebat, & si perterritos Majestatis aspectu animadverteret, animum addebat, ipseque eos interrogabat. Frequenter autem dicere solebat: Oportere Imperatorem & auditu sæpè non audire; & visu sæpè non videre. Vernulæ. *in Austr. Virtut.* Petrus Larson von Blumenfeldt *in annotationib. historic. Politic. ad Cornel. Nepot. in Miltiad. pag. mib.* 43. Odium incurrerat JULIUS CÆSAR propter mores superbos; sed animos sibi conciliabat AUGUSTUS obviâ comitate sermonisque affabilitate. Dieteric. *in August. thes.* 18. RUDOLPHUS Imperator solitus est dicere: Sinite ad me accedant homines, neque enim ideò Imperator sum, ut inclusus in arca delitescam. Saavedra *Symb.* 39. Observandum tamen est illud: NE QVID NIMIS. Enimverò lingvâ utendum, ut gladio, *hoc est*, ita, ut ne apertum ferienti pectus exponas; qui

totum aperit animum, periculo ſeſe objicit. Diſcurſus breviores efficaciores ſunt, & multa in receſſu habent animo ponderanda. Nihil æquè regii muneris eſt ac pauca loqui, & multa audire. Saavedra *Symb.* 11. HENRICI AUCUPIS benignitatem affabilitatemque gravitate temperatam Witechindus 1. *hiſtor. p.* 14. effert verbis: Licet in conviviis ſatis eſſet jucundus, tamen nihil regalis diſciplinæ minuebat; tantum enim favorem pariter & timorem militibus infundebat, ut etiam ludenti non crederent, ad aliquam laſciviam ſe diſſolvendo. De Recreationibus & oblectamentis, & qualia Principi conveniant vid. Jmhoff *diſcurſ. Polit.* 21.

POSITIO VIII.

Ex converſatione cum Ingenioſis & Doctis Viris celebratur Princeps.

Nulla res eſt, quæ Regi vel Principi majorem fidem, autoritatem, prudentiam & exiſtimationem afferat, quàm ſi conſilium capiat cum prudentioribus in rebus difficilioribus, nec velle ſibi ſoli credere, nec imbecillitatis, ſed prudentiæ judicium eſt, conſulere alios. D. Runckel. *d. ſalutar. Princip. regim. c.* 3. *ſect.* 4. D. Lebleu *d. Miniſtr. Stat. theſ.* 47. Ab hiſce Viris, utpote bonis artibus excultis, longoque rerum uſu peritis, inque hiſtoriis diligentiſſimè verſatis diſcitur, quid utile Reipubl. futurum ſit. Oſor. *lib.* 7. *d. Reg. Inſtitut.* Q. Aurelius Symmachus *in Epiſtola* 79. *ad Heſperium lib.* 1. ſcit, inquit, Eruditio tua, bonas artes honore nutriri, atque hoc ſpecimen eſſe florentis Reipublicæ, ut Diſciplinarum Profeſſoribus præmia opulenta ponantur. TITUS Imperator amicos elegit, quibus etiam poſt eum Principes, ut ſibi & Reipublicæ neceſſariis acquieverunt præcipueque uſi ſunt. Sveton. *lib.* 11.

cap.

*cap.*7. LEO Imperator Ejusque Filius CONSTANTINUS nihil habuerunt antiquius, quàm bonas literas ad summum provehere. Eorum in Imperio & pietate successor CONSTANTINUS DUCAS, qui eruditos viros mirabiliter coluit, dicere solitus est: Malle se Eruditione quàm regno nobilitari. Baptista Egnatius *in Cæsarib.* TRIBUS OTTONIBUS Impp. fortissimis ac justissimis tam carus & familiaris fuit *Adaldagus* pro Virtutum merito & doctrinæ Magisterio, ut à labore eorum vix aut rarò divelleretur. Albertus Stadensis *ad A.* 984. *fol.* 109. Dieteric. *in Otton.* II. *thes.* 2. FRANCISCUS Galliæ & HENRICUS VIII. Angliæ Reges circa se doctos semper habuerunt. Erasm. *lib.* 3. *epist.* Ruperti *observat. ad C. Vellej. Paterc. c.* 13. §. 2. Contra verò CLAUDIUS Imperator ob conversationem cum vilissimis hominibus passim malè audit. Sic Dieteric. *in Tiber. Claudio.* Noscitur ex Socio Claudius morum porrigo se prodit, studiaque arguunt, ad magna regna ejusmodi hominem inidoneum esse, cum gnari simus, nil nisi excultum ingenio & elaboratum prudentia, judicio subactum ad splendorem dignitatis & autoritatis imperatoriæ evehi debere. add. *Cap. I. Posit.* 8.

POSITIO IX.

Novitates Existimationi detrahunt.

Inprimis mutatio Religionis periculosissima est, quoniam impulsionem subitasque confusiones non admittit, nec armis cogitur Religio, sed argumentis. Crato à Krafftheim *in Epistol. prælimin. in Dubra Histor. Bohem.* Neque posse absque ingenti Rerumpublicarum motu, Religionis cultum antiquari notavit Fam. Strad. *d. Bell. Belgic. lib.* 2. *p.* 73. add. supra *Caput. V. d. Religione.* Quando FILII HELI & SAMUE-

LIS reliquerunt Dei cultum amiserunt Principatum. Tholosan. *lib.* 22. *d. Republ. c.* 14. §. 1.

POSITIO X.

Dedecorosa Principi res est, dependere ab Unius duntaxat Ministri consiliis & arbitrio.

Minus est, quàm servus, Dominus, qui servum timet, ait Publ. Syrus Mimographus; ut ejusmodi Dominis non Dominis objiciatur illud Terentii *Andr.* 3. 5. *v.* 1.

Atque hoc confiteor
Jure obtigisse, quandoquidem tam iners tam nulli consili
Sum. Servoq' fortunas meas me commisisse futili:
Ergo pretium ob stultitiam fero.

Præterquam enim, quod haud temerè omnibus sufficit unus, meliusque plura exequuntur plures; naturale quàm maximè est ac æquum dividere sive beneficia, sive munia inter Cives, ut ne, dum omnes spernere videaris præ UNO, invideant omnes Uni. Imò unum aliquem ex cohorte amicorum colere præ reliquis, uno uti rerum & arcanorum arbitro; cum illi ipsi tam caro, tum Principi perniciosum ut plurimùm extitit; prout graviter disserit Generos. Frideric. à Kospoth *in Oration. Civil. quâ ostendit, cumprimis exemplo Gallicano Cardinalis Mazarini periculosissimum esse in Regno admittere atque evehere nimis peregrinum VVitebergæ anno* 1653. *habit.* Neque rectè statuimus, inquit Xenophon *lib.* 4 *Cyr.* unum tantum Regi vel Principi expetendum esse oculum. Dilherr. *d. aul. & aulicis* §. 38. Et pusillanimitatis certissimum reputandum est argumentum in Principe, si uni soli sit addictus. D. Naurath *in addit. ad Hippol à Collib. palat.* item in tractat. de Rationariis *pag.* 115. *& seqq.* TIBERIUS CLAUDIUS Mortuo, quàm Imperatori similior, totum ex magna

gna parte Principatum non tam suo, quàm Uxorum Libertinorumque arbitriis administravit, talis ubique plerumque, qualem eum esse aut expediret illis, aut liberet; Sveton. *lib.* 6. *c.* 25. Erat autem *Narcissus* in Aula Ministrissimus, qui festivè à Victore *pag.* 626. dicitur Dominus Domini. & Senec. *apoc. p.* 806. Claudius non Dominus, sed Vicarius, δέλε δᾶλος, ac quasi *Subservus Narcissi*, qui erat verè remulcus Claudii, nam sicut navis magna remis scaphæ trahitur, sic ille remis Narcissi. Dieteric. *in Tiberio Claud. thes.* 6. Quid *Olivarius* tonsor tempore LUDOVICI. XI in aula Parisiensi egerit, vid. Piccart. *in observat. Historic. Pol. Dec.* 15. *cap.* 9. Plura exempla vide apud Bernegger. *Observat. Miscellan.* 31. D. Reinking in der Biblischl. Policey *lib.* 2. *axiom.* 74. Sapienter proindè svasit AUGUSTUS Imper. ut Rempubl. iis, qui prudentia & rerum gerendarum peritia præditi, committerent, neq; alicui unam totam crederent, ne vel tyrannidem is affectet, vel eo adversa passo, Respublica corruat. Dio Cassiodor. *lib.* 56. CAROLUS V. PHILIPPUS II. HENRICUS M. HENRICUS VII. Angliæ Rex nunqvam se totos uni tradidêre; neque id infeliciter. Dn. Ramspeck *d. Imper. Magn. membr.* 3. §. 36. Cui enim plus licet, quàm par est, plus vult, quàm licet. Ingentes sæpè Rebus publicis exitere motus, quoties ab uno occupari partes plurium Princeps sinat, aut si unus agat omnia. Felvvinger. *de Factionib. thes.* 3. Qualis in aula MARGARITÆ Parmensis Gubernatricis Belgii, dicitur fuisse Antonius Perenottus Cardinal, Gromvvellanus, notante Famian. Strada *d. Bell. Belgic. lib.* 3. *p.* 131. Fatui autem sunt qui τὸ πᾶν in aulis esse contendunt, magno cum suo damno, immemores illius: *Medio tutissimus ibis*: Quod ascendit altius, à lapsu suo propius abest. Res omnes, cùm ad supremum venerint, mox iterum deorsum labi necesse est, nec firmare se „possunt. Saavedr. *Symb.* 60. Ministri cogitent se in Guber-

nacio-

„nationis Horologio Rotulas, non Manus esse debere Saavedr. „*Symb.* 57. Exitus Ministrissimorum plerumque sunt funesti & lacrymosi. OLIVAREUS Dux Regis Hispaniarum primæ gratiæ Minister. quantas ruinas dederit, inprimis ex Pallavicino constat. vid. de Ministrissimo D. Gvilielmum Ignatium Schutzen, Dn. Jacobum Thomasium, Wilhelmum Schröterum, confer quoque D. Ahasveri Fritschii *Tr. d. Gratia Princip. erga Ministrum.* Interim caveant sibi Princeps ab ambitioso Ministro. Imhoff *discurs. polit.* 7. Timenda enim ambitio, omnia non modò quæ reprehendi palàm, sed quæ obscurè etiam agitari possunt, timet rumorem, fabulam fictam, falsum perhorescit, ora omnium atque oculos intuetur. Minister quoque, si sapit, media fortuna contentus, non omnibus vel supremis negotiis se se ingerit. Principis autoritati nil detrahit, Summa timet cogitatque *Vana esse Profana.*

Concludimus hunc nostrum laborem cum Jacobo de Lich^t *p.* 210. cujus elegans carmen producit Engelgreff. *dominic.* 4. *post Pentecost. p.* 257.

Si mihi sint vires, & prædia magna: *quid inde?*
Auri sint species, argentea massa: *quid inde?*
Si mihi sint Nati Regis de stirpe: *quid inde?*
Longus Servorum mihi serviat ordo: *quid inde?*
Et rota fortunæ me tollat ad astra: *quid inde?*
Si felix annis regnavero mille: *quid inde?*
Nam citò prætereunt hæc omnia: quod NIHIL INDE.
SERVIAT ERGO DEO OMNIS HOMO: QVID SIC? SATIS INDE.

TANTUM!

